


871

P8.Ybr






LIBRARY  
OF THE  
UNIVERSITY  
OF ILLINOIS

871

P8.Ybr

Classics





Digitized by the Internet Archive  
in 2017 with funding from  
University of Illinois Urbana-Champaign Alternates

<https://archive.org/details/qvstionespropert00bran>

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY  
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

# QVÆSTIONES PROPERTIANÆ.

---

## DISSERTATIO INAUGVRALIS

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE

FRIDERICA GVILELMA BEROLINENSI

AD

SVMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXII. M. DECEMBRIS A. MDCCCLXXX

H. L. Q. S.

PVBlice DEFENDET

SCRIPTOR

*Karl*  
✓  
CAROLVS BRANDT, 1858

GVSTROVIENSIS.

---

ADVERSARIORVM MVNERE FVNGENTVR:

MAXIMILIANVS ROTHSTEIN, DR. PHIL.

FRANCISCVS ZAHLFELDT, CAND. PHIL.

IOHANNES ENGELBRECHT, STVD. PHIL.

---

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GVSTAVVS SCHADE (OTTO FRANCKE).

Linienstr. 158.



871  
P. 8. Ybr

Classics

# IOHANNI VAHLENO

S.

uacc





## I.

### 1.

Quaestiones Propertianas instituenti mihi quamquam permulta, plura certe quam quidam pia praeclarissimorum uirorum admiratione abrepti putauerunt, etiam post Lachmannum et Iacobum disputationes flagitare uidebantur accuratissimas, tamen dubium esse non potuit a qua potissimum causa exordium capiendum mihi esset. Baehrensius enim nuperrime (Sexti Propertii elegiarum libri IV. recensuit Aemilius Baehrensius. Lipsiae 1880) omnium, quae post Lachmanni editionem Lipsiensem de textu operibus uita ingenio Propertii quaesita essent, fundamentum euertere studuit, cum codices Vossianum latinum n. 38 (A) Laurentianum 36,49 (F) Ottoboniano-Vaticanum 1514 (V) Dauentriensem 1792 (D) integros testes, Lachmannianos codices, Groninganum et Neapolitanum, interpolationibus ab illorum librorum correctoribus profectis pessime inquinatos esse contenderet, ut suam editionem omnium primam purum putum Propertium praebere arbitraretur.

a qua sententia tantum mea abest,

*quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.*

nam exceptis iis lectionibus quas iam Lachmannus aut ex editione Regiensi aut ex Puccii emendationibus recepit, paucisque ad genus orthographicum pertinentibus, denique iis quas a secundis manibus profectas ipse editor ille conjectura ortas esse putauit, quattuor restant loci quibus dubium non est quin uerae librorum scripturae a Lachmanno in recensionem anni 1829 non accitae proferantur: II, 16, 46 *fiat* III, 15, 3 *amictus* IV, 10, 6 *exuuio* IV, 11, 40 *proauro*. sed illud *fiat* quamuis a nullo adhuc ex libro scripto aliquo notatum iam per multa saecula ex Antonii Perrei tempore

quasi inhaerebat editionibus et mehercle legenti se offert ultro, *amicus* iam in Burmanniano priore et Doruilliano secundo lectum et ex Neapolitani multorumque aliorum *amicus* Propertio redditum erat, *ex uiuo* Borrichianus Askewianus Vossianus primus uterque Doruillianus praebuerant neque est qui hoc uerum esse neget praesertim cum Neapolitani lectio *ex uiuo* et Groningani *eximio* uix ab *ex uiuo* distingui potuerint, ad extremum *proaui* in omnibus libris, excepto Groningano qui *proauus* aliisque duobus qui *proauos* exhibebant, iam dudum inuentum et ab editoribus probatum est.

quibus quattuor locis plerique id quod el. I, 8, 7 legitur:

5. Tune audire potes uesani murmura ponti  
 Fortis, et in dura nave iacere potes?  
 Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas,  
 Tu potes insolitas, Cynthia, ferre niues?

adnumerare malent. quamquam *ruinas* suam habet interpretationem. potuit enim poeta, ut rem augeret uerbis idemque leuiter iocaretur, domos paene dilabentes deserti illius quo Cynthia festinabat oppiduli seu uici ruinas dicere quae teneros dominae pedes laederent, ut haec esset sententia: quid tu in ruinoso illo et foedo oppido, cum horum splendidissimorum aedificiorum luxuria frui possis?

hoc iudicium si non unaquaque lectione pertractata probabo, ii certe mihi ignoscent qui hoc opus quam scribentem et legentem defatiget sciunt. accedit quod iam Fridericus Leo in Museo Rhenano a. 1880 p. 441 sqq. haud spernendam laboris partem suscepit quam disputationem, quatenus quidem ad illam editionem attinet, paucis minutisque rebus exceptis prorsus et probo et laudo\*).

ergo ita rem agam ut primum eos locos quibus fortasse quispiam primo oculorum obtutu aliquid tribuat perstringam, deinde de iis dicam de quibus ipsum utile aliquid addere me posse arbitrabar, postremo quam mirum in modum vir ille doctissimus nonnumquam errauerit satis luculentis exemplis demonstrabo.

---

\*) Kiesslingius quoque deutsche Literatur-Zeitung 1880 p. 231 sq. recte contra Baehrensium codicem Neapolitanum defendit.

## 2.

IV, 11, 53. Turpior assessu non erit ulla meo  
 uel tu —  
 uel cui, commissos cum Vesta reposceret ignes,  
 exhibuit uiuos carbasus alba focos.

*cui commissos* G R *cuius rasos* O, i e. archetypon illorum novorum  
 librorum, deest N.

hoc modo uir doctus ni fallor argumentatus est: *cuius rasos*  
 ut est sensu cassum ab interpolatore oriri non potuit. itaque uoca-  
 bulum *commissos* pro Italorum commento habendum, ex illo *cuius*  
*rasos* genuina scriptura efficienda est. effecit igitur *cui s̃ra s̃os*  
 i. e. *cui sacra suos*. optime, sed rimosum tamen uiri docti dolium  
 est. ego enim *cui 9 rasos* ex *cui 9 misos* depravari potuisse con-  
 tendo. nam ex prioribus duabus litterarum *mi* lineis facillime  
 littera *r* oriri potuit praesertim quia illud *r* non tam perspicue  
 in archetypo lectum esse eo demonstratur, quod Burmannus e  
 Dorvilliano secundo et Leydensi secundo *yasos*, ex Askewiano  
*hyasos*, ex Vossiano quarto *lasos* notat. deinde ex posterioribus  
 duabus lineis littera *a* elici potuit, ut *a* et *u* saepe inuicem permu-  
 tantur. denique ad uocabulum *rasos* scribendum librarius archetypi  
 O eo peruenit, quod ex stribligine litterarum traditarum uocabulum  
 latinum enucleare uoluit. itaque cum non minus *cuius rasos* ex  
*cui commissos* quam *cui commissos* ex *cuius rasos* oriri potuerit, iam  
 quae lectio magis placeat iudicandum est. quod quamquam arduum  
 opus est, tamen noli dubitare quin uocabulum *commissos* aptissime  
 coeat cum eo quod est *reposceret*. nam quod alicui commisimus  
 nostro iure repositimus. hoc igitur exemplum ad archetypi O castra  
 nos transfugere non cogit, sed caute potius antea quis uictor ex  
 bello prodeat circumspicere iubet.

I, 8, 19. Sed quocumque modo de me, periura, mereris,  
 sit Galatea tuae non aliena uiae,  
 ut te, felici praeuecta Ceraunia remo,  
 accipiat placidis Oricos aequoribus.

quintus casus prorsus eodem modo positus est quo I, 7, 24:

ardoris nostri magne poëta iaces,

ubi si uocatiuum eximimus plane nil restat quod dicatur. ut autem his locis casus quintus uice primi fungitur, sic II, 6, 20 primus quinti:

— tu criminis auctor,  
nutritus duro, Romule, lacte lupae,  
tu rapere intactas docuisti impune Sabinas.

nam illud *nutritus* et q. s. nil facit ad id quod illo loco poëta agit, sed Romulo appositum est ut ei irrideatur. itaque caue dubites quin libri D *utere* Itali commentum sit, in quod incidere propter similitudinem litterarum *t* et *r* non difficile erat. nam neque *praeuecta felici remo utere* placet, cum in ipso potius praeuehendo felicem eam esse optandum fuerit, neque commode ad *accipiat* illud *te* animo auditur.

II, 3, 42. Si quis uult fama tabulas anteire uetustas,  
hic dominam exemplo ponat in ante meam.

*arte* D. praebet a multis iam receptum. sed *ante* necessario mutandum esse nequaquam demonstratum mihi uidetur. optime enim Lachmannus insolitum praepositionis *in* locum Ouidii uersu metam. II, 524 defendit:

Argolica quod in ante Phoronide fecit.

adde Propertii II, 20, 15:

ossa tibi iuro per matris et ossa parentis.

quae exempla si non plane gemina sunt nostro, at certe docent qui a leuiore audacia ad hanc maiorem ascendi potuerit. sed in explicando a Lachmanno non possum quin recedam. is enim hoc modo: *hic antea in domina mea pingenda exerceat quam ad imagines suas accedat*, ego contra sic: *hic ipsam dominam meam pingat antequam omnes fama anteire possit*.

II, 31, 7: Hic equidem Phoebus uisus mihi pulchrior ipso  
marmoreus tacita carmen hiare lyra.  
atque aram circum steterant armenta Myronis.

Baehrensium cum codice suo F *steterunt*.

sed poëtae Romani saepe plusquamperfectum quod dicimus adhibent, ubi et ipsi simplici praeterito uti possunt et nos Germani semper utimur, si quid praeterito tempore factum cogitari potest quod ante illam plusquamperfecti actionem euenerit, etiam tum

cum aut perfecta aut imperfecta, idem significantia quod plusquamperfecta illa, proxime adsunt. nec de simili futuri exacti usu periti dubitant. Propertii exempla haec sunt:

III, 11, 65: haec di condiderant, haec di quoque moenia seruant.

i. e. ante magnas illas populi Romani res gestas.

IV, 5, 69 (71): exequiae fuerant rari furtiua capilli  
uincula —

i. e. ante concremationem.

IV, 7, 15: iamne tibi exciderant uigilacis tecta Suburae?

i. e. antequam somno te dedisti.

IV, 8, 54: palluerant ipso labra soluta mero.

i. e. antequam pocula exciderunt.

sed uir doctissimus quamquam in optimis membranis et archetypo O haec plusquamperfecta leguntur perfectum ubique reposuit. non tam faciles correctiones inueniri potuerunt horum exemplorum:

IV, 8, 81 sq. indixit leges. respondi ego *legibus utar.*  
riserat imperio facta superba dato.

i. e. post datum imperium sed ante responsum, contra editor ille pessime *risit at.*

IV, 9, 27, 28. deuia puniceae uelabant limina uittae,  
putris odorato luxerat igne casa.

i. e. ante aduentum meum, sed Baehrensus cum Heinsio *turis* —  
*lux erat.* restant duo exempla quae e medio tollere non potuit:

I, 12, 11: non sum ego qui fueram.

i. e. antequam illa a me abalienata est.

III, 8, 1: dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas,  
ubi significatur dulciorem etiam secutam esse quietem. claudat  
agmen Ouidii exemplum plane geminum: Heroid. I, 34:

hac ibat Simois, hac est Sigeia tellus,  
hic steterat Priami regia celsa senis.

## 3.

I, 5, 9: non est illa uagis similis —  
 quod si forte tuis non est contraria uotis,  
 at tibi curarum milia quanta dabit!

illud *uotis* ab eodem Neapolitani correctore est a quo per-  
 multae uerae lectiones superscriptae sunt, uelut *cythainis* pro *cy(i)-*  
*th(t)alinis* I, 1, 24, *ilaïra* pro *t(h)elaira telaria* I, 2, 16, *quo rhi-*  
*paeos* ex *coripaeos* I, 6, 3 alia multa. quis tam doctus erat ut  
 tot bonas coniecturas excogitaret? an non satius est haec ex  
 uetere exemplari correctae esse putare? itaque cum constet de  
 auctoritate secundae Neapolitani manus, iam sententiarum nexum  
 uideamus.

non est illa uagis similis conlata puellis  
 molliter irasci non solet illa tibi.

Italorum *sciet* recepto recte editor nuperrimus rogat: *num*  
*uagarum leuiumque puellarum est proprium, molliter tantummodo*  
*amatoribus irasci et grauem furorem omnino nescire?* nimis certe  
 obscurum sensum coniectando effecerunt quod aegre *propter auda-*  
*ciam tuam* ad uerbum *irasci* auditur. cui autem placeat illud  
*sciet?* quae hoc uocabulo infertur notio, qua lucem accipiat sen-  
 tentia? an non prorsus superuacaneum est? nec Lachmannus eo  
 quod posuit *time* omnia expediuit. cur enim Cynthia irascatur ne  
 sic quidem dicitur. tum nuperrimi editoris *sibi* obscurius est  
 ceteris scripturis omnibus, quod nemo tam sagax est ut, si legat:  
*molliter irasci non solet illa sibi*, audiat *cum tamen peccauerit*.  
 praeterea nemo adhuc quid sibi uellet illud *collata* explicuit, quod  
 ex his rationibus omnibus ineptissimum esset. nam tum demum  
 Cynthiam aliis similem uideri posse si cum iis conferatur, hoc per  
 se mehercle perspicuum erat.

itaque iam meum audias commentum:

non est illa uagis similis collata puellis  
 (molliter irasci non solet illa) tibi.

*uagis* et ad *similis* et ad *collata*, uerbum *est* ad *collata*  
 pertinet: *est illa tibi uagis collata, sed non ita ut iis similis sit,*  
 ut id quoque appareat cur additum sit *molliter irasci non solet*

*illa.* nam profecto peccatum erat haud exiguum cum uagis illam comparare. Atque illud *tibi* post parenthesin positum quamquam quasi utroque pede claudicare uidebitur tamen non abhorret ab usu poëtarum latinorum. nam plane geminum ne dicam audacius hoc est Propertii IV, 4, 74:

urbi festus erat (dixere Parilia patres:  
hic primus coepit moenibus esse) dies.

de similibus aliis exemplis infra dicemus, si de *aquis* III, 14, 14 et *cacumen* Catull. 64, 240 disputabimus. iam hic est progressus sententiarum: ne uagis eam conferas et ut uagam temptes, non illis similis est. sed si tandem exorata erit ut non contraria sit uotis tuis, at tibi curarum milia quanta dabit! in quibus cum nil insit quod uituperemus, si legeris id quod Baehrensium ex sui O *forte ruis* elicit:

quod si fortunis non est contraria uestris,

non poteris quin hoc de Cynthia puellis uagis et quaestum corpore facientibus dissimili concedi posse neges. itaque illius O scriptor calami lapsu saepissime obuiro doctissimum circumduxit.

III, 15, 31 sqq. ac ueluti magnos cum ponunt aequora motus,  
Eurus ubi aduerso desinit ire Noto,  
littore si tacito sonitus rarescit arenae:  
sic cadit inflexo lapsa puella genu.  
sera, tamen pietas: natis est cognitus error.  
digne Iouis natos qui tueare senex,  
tu reddis pueris matrem —

non possum quin hoc loco a sagacissimorum et elegantissimo iudicio praedictorum uirorum sententia recedam, qui *cadit inflexo lapsa puella genu* uncinis parentheticis includunt. Amphionis enim Zethique seram pietatem ullo pacto cum aequoribus paullatim residentibus conferri posse nego. nam matrem a stabulis abegerunt non ira commoti, non animi affectu ullo, sed quia eam ignorauerant. sed postquam pastor ille matrem pueris reddidit (37) i. e. nescio qua tabella apud pueros expositicios inuenta ἀναγνώριον illam effecit, statim eam receperunt et Diracen poena celeberrima affecerunt. contra prorsus egregie in Antiopae animo Eurum et Notum depugnare dici potuit. ira abactae, sublimis regis filiae et Iouis nuptae

animus cum feminei corporis imbecillitate pugnam pugnabat atrocissimam. sed residebant paullatim animi motus moxque ira infirmitate corporis uicta iterum supplex mater genu inflexit. tum illa ἀναγνώσις et sera tamen pietas. quod si uerum est quia post genu grauiter interpungendum uidetur, ad editoris nostri *sic adit*, quod ex lectione *O si cadit* effecit, *natos* audiri non potest. Praeterea *cadit* multo plus habet neruorum et animi impetus.

## 4.

III, 14, 14. Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis  
Thermodontiacis turba, lauatur, aquis.

editor noster nil infelicius hoc commento Lachmanni uocem *lauatur* commatis includentis uidit, ego nil ingeniosius. conferas enim IV, 8, 55:

fulminat illa oculis et quantum femina saeuit,

ubi interpretemur necesse est: *illa saeuit quantum femina saeuit* ut nostro loco: *Lacaena lauatur ut Amazonidum turba lauatur*, quod si non fecerimus aequae inepta sententia orietur: *oculis illa fulminat et tantum fulminat, quantum femina saeuit* et: *Lacaena talis caput aere protegit ut Amazonidum turba lauatur*. neque quisquam opinor in tali enuntiati forma haesisset: *qualis turba Amazonidum lauatur*. quod autem *aquis* sequitur post *lauatur* huic rei Lachmannus optime Catulli loco 64, 240:

haec mandata prius constanti mente tenentem  
Thesea ceu pulsae uentorum flamine nubes  
aerium niuei montis liquere cacumen.

patrocinatus est.

iam uides, si recte disputauerim, defendi omnino non posse librorum DV *lauantur*. sed uir doctissimus, ut commata illa euitaret suamque lectionem *lauantur* seruaret, hos uersus post u. 16. transposuit. at hac mutatione num effecit, ut omnia bene coirent sanamque praebere sententiam? non hoc, sed primum ut duae praeterea mutationes necessariae essent *talis* et pro *qualis* et et *uersata* pro librorum *armata* siue *capere arma*, deinde ut retento archetypi *O capillis* pro *nudis* reponendum uideretur *fluidis*, quam-



uis pudor Helenae (u. 20) multo melius *nudis papillis* quam *fluidis capillis* conueniret, postremo ut sententia oreretur prorsus inepta. nam his coniecturis probatis poëta, cum id ageret ut uirginum Spartanarum uirtutem describeret, nescio cur subito ad Castorum laudes transiret. contra tradito ordine uersuum retento rectissime feminae sic corpus exercuisse dicuntur ut Castor et Pollux. si autem nihil transponendum est, illud *fluidis* iam dici omnino non potuit, ut *capillis* archetypi O errore ortum esse ex *papillis* sequeretur. restat ut librorum DV *armata*, pro quo codex F interpolationem et metro et constructione recta cassam exhibet *est armata*, a nequissimo Propertii castigatore profectum esse notem qui, cum *cepisse* expectaret, coniecturae operam dedit. Sed de hac re exponendi onus iam Bentleius Hor. od. I, 16, 14 mihi dempsit, cuius exemplis adde Ouid. Heroid. XX (XIX), 11:

inuenies illic id te spondere, quod opto  
te potius, uirgo, quam meminisse deam.

et Catull. LXIV, 124 sqq.:

saepe illam perhibent ardenti corde furentem  
clarisonas imo fudisse e pectore uoces

126: ac tum praeruptos tristem conscendere montes  
128: tum tremuli salis aduersas procurrere in undas  
130: atque haec extremis maestam dixisse querellis.

IV, 1, 28. nec rudis infestis miles radiabat in armis:  
miscabant usta praelia nuda sude.

potestne aliquid praeclarius et breuius dici? duabus enim rebus cur tum miles non radiauerit significatur. primum enim usta sude pugnabant i. e. sine fulminantibus gladiis, sine cuspidem micante, sed usta i. e. igne durata sude, deinde praelia nuda miscabant i. e. sine ferrea lorica. quis uero qui nouit Propertium non sentiat ex ipsius poëtae ingenio quasi effluxisse *praelia nuda*? quam lectionem si conferimus cum archetypi O *praelia facta sude* possumusne hoc non <sup>putare</sup> interpolatum? certe si *nuda* non genuinum est numquam elegantior exstitit corrector. neque igitur ex illo *facta* aliquid elici debuit, nam etiam *facta* prae *nuda* languet sordetque.

III, 11, 34 sqq. — et totiens nostro Memphi cruenta malo,  
 tres ubi Pompeio detraxit arena triumphos!  
 tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam.  
 issent Phlegraeo melius tibi funera campo.

F *hec tibi Pompeio* exhibet, ex quo editor nuperrimus uersu 36 cum Lachmanno post u. 39 et u. 40 post u. 35 transposito, ut quod uersu 37 legitur *tibi* haberet quo referretur, *tres ubi Pompei* effecit. sed sine causa idonea Lachmannus uersuum ordinem mutauit. quomodo enim uersu 36 post uersum 35 posito Caesar uituperetur? an non dedecori Romae erat et quasi nota superbo illi populo inusta, quod Aegyptii tribus illis triumphis — quasi spoliis — detractis gloriabantur? deinde non dubito, quin Propertius uersus 37 *tibi* ad Pompeium referre potuerit, quamuis uersûs 36 *tibi* de Roma dictum esset. certe si ille uersus post u. 35 recte legitur *tibi* uersûs 37 eo quod iam 35 u. oratio ad Pompeium derigitur excusari nullo modo potest. sin post u. 39 ponendus est, illud *tibi* uersûs 37 apud Propertium omnino nullam habet offensionem, de qua re Lachmannus ad IV (III) 12, 44 exposuit. quamquam uir ille doctus pleraque hujus usus exempla coniecturis aut defectuum notis positus e medio tollit, in qua re uoluntatem magis sequitur quam rationem. praestat igitur nullo pacto illud *hec tibi*. utrum autem probabilius est, doctum interpolatorem sine causa tres illos triumphos in Propertium intulisse an Italum minus antiquitatis doctrina adiutum pro eo quod interpretari non potuisset *tres ubi* expeditum illud *hec tibi* posuisse?

Sed cum iam ad alia animus festinet haec hactenus. nam longe plurimis locis primo aspectu uidemus quanto Neapolitanus nouis illis libris interpolatis praeferendus sit, nonnullis locis elegantiore quodam sensu commoti illum codicem sequimur, interdum per se nihil interest utrum nouorum librorum an Neapolitani lectionem recipiamus, numquam exceptis quattuor illis locis necessario nuperrimae illi recensionis aliquid tribuere cogimur.

---

## II.

## 1.

Lachmanni et Jacobi error Groningano nimium tribuentium, quamquam Keilio et Hauptio praeunte ab omnibus qui postea Propertio emendando operam dederunt animaduersus est multique inde loci correcti sunt, tamen etiam nunc nonnullas lectiones immerito in surdo situ iacere persuasum mihi est. sunt autem hae:

II, 15, 49: tu modo dum lucet fructum ne desere uitae.

noluerunt uiri docti Sexto nouam et pulchram cogitationem concedere, noluerunt eum uitam diei mortem nocti comparare, quam ob rem uulgare illud et pedestre *dum licet* ex Groningano acciuerunt admissa coniectura quae non sententiae aliquo modo mancae sed metro explendo inseruit, quamquam ipse poëta supra dixerat:

dum nos fata sinunt oculos satiemus amore:

nox tibi longa uenit nec reditura dies.

quem locum non tractaui ut nouum aliquid proferrem — scio enim Lachmannum a. 1829 *dum lucet* edidisse et Hertzbergium a quo prorsus abiudicant sensum elegantiolem de hac re iam monuisse — sed quod usque ad hunc diem rectissima haec sententia non probatur et, si genuina putetur illa Neapolitani lectio quae est *dum lucet*, nullus locus restet quo hic liber interpolatus esse credatur.

I, 15, 33 N exhibet: Muta prius uasto labentur flumina ponto,

30

annus et inuersas duxerit ante uices,

quam tua sub nostro mutetur pectore cura:

sis quodcumque uoles, non aliena tamen.

quam tibi ne uiles isti uideantur ocelli

per quos saepe mihi credita perfidia est.

35

hos tu iurabas, si quid mentita fuisses,

ut tibi suppositis exciderent manibus:

et contra magnum potes hos attollere solem,

nec tremis admissae conscia nequitiae?

qui est sententiarum nexus, si cum Lachmanni amico Gotingensi Ernesto Schulzio ex Groningano *nam mihi* restituimus? Propertius fastidiosum in summo suo periculo frigus Cynthiae

questus suam fidem magnifica sane oratione affirmat (29—32). quo uersu cum fidei affirmationem finitam et ad summum orationis fastigium peruentum esse appareat, mirum in modum flaccescit haec sententia *semper oculos tuos quamuis perfidos tamen amabo*, praesertim cum illo *nam* quod nimis pedestrem orationem sapiat inepte annectatur. quid uero sibi uult is qui sequitur de luminibus excursus nimis externo ut uidetur uinculo superioribus assutus? contra si post u. 32 finitam esse sententiam ponimus, restituto uocabulo quod est *tibi* poëtam Cynthiae a u. 33—38 minari manifestum est: cum iuraueris ut perfidi oculi tibi exciderent, caue ne illi oculi uiles tibi uideantur; sunt enim uiles et excident. quam sententiam quod editor nuperrimus per *dum* cum praecedente enuntiato coniunxit, satis ineptam exceptionem magnificis illis uersibus addidit. nam aduersatiua particula egemus, ut suam huic loco lucem reddamus. neque dubium est quin Propertius *at* ualde sibi adamatam praetulerit, cum *sed* uix utatur nisi sententiam praerumpat. iam igitur scribe *at tibi*. nam similitudinem litterarum curari propter *quam* uersus 31 non necesse est.

II, 1, 31. aut canerem Aegyptum et Nilum, cum tractus in urbem  
septem captiuis debilis ibat aquis.

haec Groningani lectio quamquam sine offensione est, nulli tamen continget ut unde Neapolitani *attractus* uenerit explicet. sed editoris nuperrimi *atratu*s probare nequeo. nam simulacra fluminum fereulis per triumphum lata — agitur enim de Augusti triumpho anni 725 — arundine et aliis naturae eorum indicibus ornabantur. quomodo autem communi ac uulgari uestimento Romanorum fluiuiorum ficta poëtico artificis animo forma perdi et ars sculptoris uelari potuit? itaque scribas: *cum ah tractus in urbem* ut I, 11, 5 ex Neapolitani *adducere* recte *ah ducere* restitutum est. iram enim et contumeliae illius uoluptatem illud *ah* significat ut II, 33, 11:

ah quotiens quernis laesisti frondibus ora.

et III, 25, 14: ah speculo rugas increpitante tibi.

II, 24, 1. Tu loqueris, cum } sis G iam noto fabula libro  
  } sit N

et tua sit toto Cynthia lecta foro?

quoi non his uerbis aspergat tempora sudor?

aut pudor ingenuus aut reticendus amor.

quod u. sequentibus poëta excusat, cur uiles quaerat, uersus quartus necessario ut amici cuiusdam conuicium sic explicandus est: aut pudicus esse nec uiles quaerere debuisti aut non de Cynthia canere. neque cur amicus ille hoc dixerit obscurum est, nam certe ridiculus uidebatur sanctus Veneris uates sordida scorta insectans. iam igitur teneas ob eam causam amicum impudicitiam Sexti uituperasse quod de Cynthia ille narrasset. tum hoc quoque intelleges: *tu loqueris cum Cynthia tua toto foro lecta sit* i. e. tu tam impudica uerba iacis cum in toto foro de Cynthia legatur, quam non antea te relicturum esse cecinisti quam inuersas annus uices duceret. idem fere sonat quod Neapolitanus exhibet *tu loqueris cum sit iam noto fabula libro* sc. Cynthia. quamquam igitur Neapolitani lectionem praestare non ausim dicere, id tamen dubium mihi non uidetur quin optimam sententiam praebet.

II, 30, 19 sq. num iam, dure, paras Phrygias nunc ire per undas  
et petere Hyrcani littora nota maris.

quintus casus ille masculini generis Puccio debetur uel alii illius aeuī emendatori, Groninganus *dura* exhibet, quod Cynthiae ineptam bellandi cupidinem tribueret. nec minus coniectura *num* ex *nunc* ortum est. quid porro de sententia dicam? post patheticam illam uersuum 1—10 orationem, post ualidas blandasque uersuum 12—18 cogitationes paene inepte sequitur interrogatio quae est: *num iam paras me relinquere?* hoc enim Cynthia iam sciuit, contra hoc consilium iam antea pugnauit.

mihi igitur ne duabus quidem coniecturis probabilis sententia orta esse uidetur. quae dubitationes codicis N lectione firmantur quam maxime. hic enim: *nunc* — nam *non* merus primae manus error est, cuiusmodi multi ab illo librario commissi obuii sunt — *tamen immerito Phrygias nunc ire per undas. hoc tamen immerito*, ubi *tn* firmatur editoris nuperrimi codicum DV lectione *tu*, ex *iam dura paras* ullo modo fieri potuisse nego. itaque libri G uerba interpolata esse sequitur. ut autem medelam huic loco afferam, non prius sed posterius *nunc* corruptum esse dico. puto enim mero errore illud uocabulum bis positum esse, quales corruptelae sexcenties et apud Propertium et apud alios et apud cuiusuis linguae scriptores inueniuntur. itaque hoc propono:

nunc tamen (immerito!) Phrygias potes ire per undas  
 et petere Hyrcani littora nota maris  
 spargere et alterna communes caede Penates  
 et ferre ad patrios praemia dira Lares?

i. e. nunc quamquam te tam blande allicio tu tamen (immerito hoc patior) a te impetrare potes ut Phrygias eas per undas? iam agnosces stili robur quod et hunc locum et totum carmen decet.

III, 1, 23. omnia post obitum fingit maiora uetustas:  
 maius ab exequiis nomen in ora uenit.

sic G, N: *famae post — uetustae*, quod cum ex Groningani *omnia — uetustas* oriri non potuerit, a Neapolitano potius proficiscendum est:

famae post obitum fingit maiora uetustas:  
 maius ab exequiis nomen in ora uenit.

*uetustas* propter *famae* ineuntis uersus corruptum est.

## 2.

Etiam uetus is Bernhardini Vallae codex minorem Neapolitano auctoritatem habet. quod quamquam a Keilio et Luciano Müllero intellectum est, tamen usque ad nouissima tempora quattuor illarum membranarum lectiones editionibus ferebantur.

II, 22, 48. Quanta illum toto uersant suspiria lecto,  
 cum recipi, quem non nouerit illa, putat.

ubi N: *cur recipi quae non nouerit ille uetat.* et G: *cur recipi quem non nouerit ille putat.*

III, 7, 22 ubi Pucci codex *arginni*, N *aginni*, G *argiuus*, editio Regiensis *argiuum*.

IV, 1, 73. auersis musis cantas, auersus apollo,

ubi N: *accersis lacrimas cantas.* —

IV, 4, 55. si coniux pariamue tua regina sub aula,

ubi N: *sic hospes.*

altero loco (III, 7, 22) librarius codicis Vallae scribae Neapolitani lapsum calami euitauit, tertio (IV, 1, 73) recte ni fallor editor nuperrimus *accersis lacrimas cantans.* ut enim u. 74 magus ille dicit: *poscis non ut tibi uideris praeclara et laudanda uerba, sed mala et pigenda*, sic u. 73: *non gloriam, sed lacrimas can-*

*tando tibi accersis*. itaque incipiunt illa enuntiata quasi id diceretur, quod poëta uellet, sequuntur praeter expectationem quae magus euentura esse putauit. ex qua lepida sententiarum quasi mixtione id quod alibi non dicitur *lacrimas accersis* explicatur. nam *gloria honores recte accersuntur* (Curt. 8, 13 fin. 10,5). neque id ualde illi lectioni *accersis lacrimas cantans* obstare mihi uidetur, quod Vahlenus mecum communicauit, Ouidium Amorum III, 12, 17, 18:

auersis utinam tetigissem carmina Musis  
Phoebus et inceptum destituisset opus!

scripsisse sibi uideri cum memoria teneret Propertii: *auersis Musis cantas, auersus Apollo*. ultimo loco (IV, 4, 55) egregie Vahlenus *si posces*, primus uersus (II, 22, 48) mihi restat emendandus.

atque primum in codice N quattuor unius uersus corruptelae inessent, si Vallae libro uerum praeberetur. neque id facile intelligitur quomodo scriba in uerbum quod est *uetat* inciderit et sensu cassum et litteris a *putat* diuersum. contra si Neapolitani lectionem antiquiorem credimus, cum omnes in uerbis *ille uetat* difficilibus intellectu haerent — *illum* enim deceptum amatorem esse putauerunt, — facillime aliquem in *ille putat* incidere necesse erat. longius librarius Pucciani codicis in emendando progressus est. denique ambigua est uulgatae illius lectionis sententia. quid enim significat *putat recipi quem non nouerit illa nisi putat prorsus ignotum hominem ab ea recipi*, quod summae leuitatis esset. Lachmannus contra sic explicat: *putat recipi aliquem, quem tamen illa omnino non nouit nedum recepit*. sed ego hanc posteriorem sententiam nisi a balbutiente sic uerbis inuolutam magis quam pronuntiatam esse nego, priorem miram duco, quod nescio cur infelici illi amatori statim ignotus ille riualis in animum uenerit cum noti non minus periculosi essent.

quibus causis commotus eo perueni, ut num forte quid sub Neapolitani uerbis lateret periclitarer. itaque hoc iam perpende:

quanta illum toto uersant suspiria lecto:  
*cur recipi, quam non nouerit, ille uetat?*

i. e. *cur riualis iste, qui eam impediuit quominus ueniret, uetat eam a me recipi quam ille pro mea puellae familiaritate ne nouerit quidem? cur ille sibi ignotam puellam ei eripit, qui iam dudum*

*illius amori seruebat?* cuius coniecturae efficiendae causa id mutauit, quod ipsi libri non consentientes tradiderunt. sed iam audio quae mihi exprobrentur et obiciantur. erunt enim, qui interrogent: *quis hoc augurando potius quam cogitando assequi potest deceptum amatorem uersu 48 loqui? quomodo fieri potuit, ut Propertius ipsius amatoris uerba incipere non accuratius significaret?* nam hoc concesso id non uereor ne quis uocem *ille* ad riualem referri posse neget (Cfr. II, 9, 1 et 48). sed ne illud quidem obesse mihi uidetur. commonefacio enim uiros doctos carminis II, 30, quod utrum totum Propertius canat an primum Cynthia ultimum poëta etiam hodie dubitatur. neque similem ineuntis carminis II, 24 rationem esse hic ommittendum est.

---

### III.

#### 1.

Lachmannus postquam ex Ouid. trist. II, 465. 6. nonnulla carmina Propertii aetatem non tulisse recte collegit, cum in priore libri II parte interdum sententiarum filum interruptum putaret, hic foliis archetypi amissis uulnus illud poëtae nostri carminibus inflictum esse censuit. deinde mirum illum libri secundi locum (II, 13, 25):

sat mea sat magna est, si tres sint pompa libelli,  
quos ego Persephona maxima dona feram,

nisi aliquando tertio libro lectus esset intellegi posse negauit. itaque cum ceteris foliis id quoque amissum esse putauit, in quo inscriptio tertii libri scripta fuisset. Quae coniectura ut prorsus certa eo demonstrari uidebatur quod carmen II, 10 noui libri Augusto dedicati prooemium esset.

contra hanc sententiam omnibus sagacissimam uisam Heimreichius ita pugnavit, ut Nonii testimonium protraheret qui III (IV L.) 21, 44 ex tertio libro afferret. sed hoc solum nil contra Lachmannum demonstrare apparet. Hertzbergius contra carmen



II, 13 cum aliis ab amicis editionem posteriorum trium Propertii librorum post mortem poëtae curantibus in secundum illatum esse ex tertio libro contendit. quod ita probare conatur ut huiusurbationis uestigia ostendat. primum enim carmen 12. totam illa libri secundi parte narratam amoris fabulam interrumpere. sed de illa amoris fabula nil constat. deinde IX, 41—52 et XIII, 43—58 unam elegiam fuisse. at quidni poëta in c. 9 post scelestam Cynthiae perfidiam fidissimum suum animum depingere potuit? quod fieri potuisse ipse Lachmannus in editione Berolinensi concedit. tum 13, 43—58 neque cum Hauptio ut unum integrum carmen neque cum Hertzbergio post 9, 41—52 poni neque omnino a praecedentibus uersibus secerni debuit. nemo enim explicabit uersum 13, 51:

tu tamen amisso nonnumquam flebis amico,

qui nisi Propertium obiturum esse antea dictum erat non intelligitur. non multo ab hac opinione nouissimi editoris sententia distat, qui elegias II, 7—II, 13 ex tertio libro huc insertas esse arbitratus est. sed illius disputationem refutare longum est. certe neuter horum uirorum doctorum de turbatione illa librorum aliquid demonstrauit, neque quisquam Lachmanni quae est de decima elegia sententiam refutauit, quod nisi factum est, inanes sunt illorum disputationes.

stat igitur Lachmanni ratio quamquam suspicionem Heimreichius mouit.

## 2.

sed ego aliam uiam ingressus sum. primum enim uideamus de defectibus.

atque in sexto carmine secundi libri poëta a u. 1 usque ad 8 turbam amatorum Cynthiae describit, a u. 9 usque ad 14 anxias suas suspiciones, ut inde quantopere se ille nepotum grex laedat appareat. deinde a. u. 15 usque ad u. 22, praeliis quae eiusmodi puellarum rapinis orta sint enumeratis, per Romulum qui Sabinas intactas rapuisset sui temporis nepotes feminas corrumpere doctos esse putat. quod, cum non solum uirorum scelere sed etiam feminarum leuitate fiat, eas heroïnas praedicat quae reuera pudicae fuerint. templa contra Pudicitiae sine uera pudicitia non nauci

habet (23—26). iam ad huius intemperantiae causam perguit eam-  
que manum quae obscenas tabellas prima pinxerit, damnat (27—34).  
sequitur hoc:

sed non immerito: uelauit aranea fanum  
et mala desertos occupat herba deos.

i. e. sed non immerito tam corruptos mores deflemus. nam deos  
contemnimus. quam meam distinctionem nisi probaueris, ne defectu  
quidem concessio habebis quod intellegatur. neque difficile, opinor,  
animo audimus quod audiui, si quidem recte poëta noster ineunte  
carmine dixit:

et merito! quoniam potui fugisse puellam.

hoc modo Sextus postquam de communi morum morbo dixit, ad  
Cynthiam optime reuertitur uersibus 37—40. uersu autem 41 post  
puellae perfidiam suam fidem prorsus eodem modo praedicat, quo  
II, 21, 19, ubi, postquam tota elegia Cynthiae leuitatem castigauit,  
sic concludit:

nos quocumque loco, nos omni tempore tecum  
siue aegra pariter siue ualente sumus.

deinde in septima elegia post u. 12 noua sane sententia incipit,  
deest nihil. sic enim uersus illi cohaerent: *non eius faces perdere  
possem, quae non nuptiis sed uero amore nupta mihi est, non  
possem domum tuam clausam praeterire respiciens limina tua pro-  
dita* et q. s. itaque haec est summa sententiae: *citius morior quam  
uxorem duco* (7—12), *sed etiamsi ducerem tamen patriae nil pro-  
dessem, contra in amore Castor sum et gloria ad Borysthenidas  
lata est.*

quid uero de octauo carmine dicam? *frustra semper te uene-  
ratus sum* (11, 12),

ergo iam multos nimium temerarius annos,  
improba, qui tulerim teque tuamque domum!

i. e. *ergo iam multos annos nimium profecto temerarius eram*, sub  
qua sententia latet satius fuisse iam dudum duram dominam relin-  
quere. iam arctissime cum illo *qui tulerim teque tuamque domum*  
sequentia cohaerent: *an non semper ut seruum me tractasti, an  
usque in caput meum uerba seruo digna iacies?* nam id non uereor

ne quis illud *eram* difficile ad *temerarius* audiri dicat. multo certe audacius illud exemplum est quod legitur III, 7, 49 sq.:

non tulit hic Paetus stridorem audire procellae,  
 . . . . .  
 sed Chio thalamo aut Oricia terebintho  
 et fultum pluma uersicolore caput.

haud pauca praeterea adsunt non minus dura uelut II, 9, 43:

te nihil in uita nobis acceptius umquam:  
 nunc quoque eris, quamuis sis inimica mihi.

II, 20, 26. quicquid eram, hoc animi gratia magna tui.

III, 15, 35. sera tamen pietas.

III, 16, 1. nox media et dominae mihi uenit epistola nostrae.

IV, 8, 37. Lygdamus ad cyathos, utrique aestiua supellex,  
 et Methymnaei Graeca saliuu meri.  
 Nilotes tibicen erat, crotalistris Phyllis,  
 et facilis spargi munda sine arte rosa.

neque magis post uersum 9, 48 quidquam deest. nam 41—46 poëta dicit se numquam aliam amaturum esse, tum Cynthiae perfidiae reminiscens non Cynthiam sed riualet detestatur. neque solum adeo eum odit, ut eum lapidem fieri cupiat, sed etiam ut ipse suam uitam despondeat, dummodo odiosus iste simul Orcum uisat. optime autem poëta ultimos uersus annexuit, cum notionem coniungentem *ob regna* in capite huius enuntiati poneret. quod iam Vahlenus, cum quartam Propertii Hauptiani editionem curaret, eo significauit, ut defectus signum tolleret.

tum decima elegia tam bene incipit *sed tempus* quam I, 17 *et merito*. adde etiam illud *tamen* Ou. Heroïd. XI, 1. et *at* ib. XII, 1. undecima quamuis parua ita tamen comparata est ut nihil desideretur. ergo ne uno quidem loco aliquid intercidissee demonstrari potest.

## 3.

Minus etiam Lachmanni explicationem clarissimi illius loci II, 13, 25 probro:

sat mea sat magna est, si tres sint pompa libelli  
 quos ego Persephoneae maxima dona feram.

nam poëta quod neque diuitiis neque auorum triumphis gloriari potuit, nil nisi carmina sua secum ferre cupit. quod si dicere uoluit, quid eum mouit ut accuratum libellorum suorum numerum adderet? quid fecit ille numerus ad rem? accedit quod Sextus non proxime imminentes sed quodcumque futuras exsequias describit, ut numero definito uti uix potuerit. quid si canis annis poëta se obiturum esse cogitasset? num ne tum quidem plus quam tres libellos secum ferre uoluisset?

sed ut tres glebae in corpus inhumatum naufragi iaciuntur, ut tres lanei orbis circa focum sacrificantis eunt, ut tres flammae accenduntur cum deus in terram descendit, sic poëta noster Persephonaes tres libellos donaturus est. neque ob aliam causam Tibullus I, 5, 16:

uota nouem Triuiuae nocte silente dedi.

Triuiuae, triformi deae, nouem i. e. ter tria munera dedit. Graecos quoque tria saepe ἀναθήματα dedicasse constat. nec Propertius in eam sententiam libellos dixit, in quam Ouidius trist. V, 1, 1:

Hunc quoque de Getico; nostri studiose, libellum  
littore praemissis quattuor adde meis,

sed in eam, in quam ipse I, 11, 19

Ignosces igitur si quid tibi triste libelli  
attulerint nostri.

## 4.

postremo tertium et ni fallor grauissimum Lachmanni argumentum quod est de II, 10, libri Augusto dedicati prooemio, ita refello, ut Lachmannum uu. 23, 24 non recte explicuisse contendam. apparet enim sic uirum summum locum illum accepisse: *quia adhuc Musa epica non doctus sum ad laudis carmen ascendere nequeo sed pro laudis carmine nunc uiliora sacra i. e. carmina amatoria tibi dedico.* at ut corona illa quamuis non capiti tamen signo datur, sic Propertius carmina laudis non in caput sed ante pedes Augusti se ponere dicit i. e. promittit carmina laudis, sed talia qualia fingere uolet. itaque si medio libro hanc elegiam legimus, sub uilibus illis sacris ea carmina, quae uoluit fingere

finxit numquam, intellegimus, sin ineunte necessario aut toto libro aut maiore eius parte Augustum celebrari expectamus.

noli igitur de quinque Properti libris Lachmanno credere.

#### IV.

##### 1.

Antequam quo tempore priores tres Propertii libri scripti sint definiam, id quaerendum mihi uidetur utrum eodem tempore an diuerso secundus et tertius liber editus sit. atque primum demonstrandum est, adhuc nulla argumenta prolata esse quibus simul eos editos esse euinceretur. nam Barthius eo ductus est quod tertiam tertii libri elegiam anno 725 decimam secundi anno 730 tribuendam et carmen 13 secundi libri ab ipso poëta ex tertio desumptum esse putauit. sed hoc pro nihilo esse modo exposui, illud plane ridiculum est, quod uersus III, 3, 43—46 nequaquam de triplici Augusti triumpho anni 725 agunt, et si agerent non ipsum tempus elegiae sed post quod tempus ea scripta esset demonstrarent. neque melius Lachmannus egit qui tertium suum quartumque librum ideo simul editos putauit quod Propertius et II, 10 (III, 1) et III (IV) 24, 25 quinquennio illo amoris fessus scripsisset. sed neque in illo *quando scripta puella mea est* odium et simultas inest neque si inesset bis simultatem ortam esse improbabile esset. accedit quod II, 10 annum 729 u. 730, III, 24, 25 annum 732 sibi poscere infra demonstrabitur. cumque Hertzbergius nil afferat cur Barthium Lachmannumque sequatur (p. 227) non uideo quid impediatur quo minus meam sententiam probare studeam.

atque primum paullo accuratius uelim secundi et tertii libri prooemia compares. quid? in secundi libri prooemio nullam dicit corporis motionem nullam uocem Cynthiae esse, qua non ad carmina fingenda summa amoris ui compellatur, suaque funera ex illius domo ductum iri. contra in prima libri tertii elegia de amata puella uix cogitatur. nam quod legitur 1, 40

gaudeat in solito tacta puella sono

de turba puellarum Romanarum (2, 8) intellegendum esse ex sequentibus uersibus luculentissime apparet. nil igitur restat nisi hi uersus:

15 fortunata meo si qua est celebrata libello:  
carmina erunt formae tot monumenta tuae.

i. e. fortunata hercle ea est, si qua carminibus meis celebratur. neque enim recte Lachmannus Puccii *es pro est* praetulit. nonne persentiscis quid frigoris insit in illo *si qua est?* ego certe non dubito quin eodem animo poëta nostrum carmen scripserit quo elegias 24 et 25 huius ipsius libri. sed tamen eodemne putas tempore illud prooemium secundo libro hoc tertio praemissum esse?

porro magna cum elatione Propertius III, 1. 2 de aeterna sua gloria loquitur, quod dicendi genus neque decebat eum qui non nisi iuuenili illo libello notus erat neque inuenitur in secundo libro. nam uersibus II, 7, 17. 18.

hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,  
gloria ad hibernos lata Borysthenidas.

non tam carminum quam amoris sui gloriam praedicat. sed optime hoc modo loqui potuit, postquam secundo libro edito reuera post Varronem Catullum Caluum Gallum fama quintum Propertium posuit. ubi uero poëta inuidam detrectatorum turbam (III, 1, 21) et scriptores frustra se aemulantes (III, 1, 12) commemorauit nisi in tertio libro? quod ego non miror. nam ante secundi libri editionem illi non exstiterant. quis enim adulescentulo quamuis mira indole ornato inuiderit?

deinde in multis secundi libri carminibus primus liber commemoratur uelut:

3, 3: uix unum potes, infelix, requiescere mensem  
et turpis de te iam liber alter erit.

20, 21: septima iam plenae deducitur orbita lunae,  
cum de me et de te compita nulla tacent.

24, 1. tu loqueris cum sis iam noto fabula libro  
et tua sit toto Cynthia lecta foro.

num mero casu factum esse putabimus ut illa carmina in secundo libro tradantur non in tertio? immo post secundi libri editionem poëta iam non potuit hoc modo loqui.

tum multo moderatior et pudentior Sextus est in tertio libro

quam in secundo. nam magnum illum amoris feruorem nisi in elegiis 6, 8, 10, 20, 21 uix inuenies.

neque quisquam negabit tertii libri uersiculos multo magis tenui pumice exactos decurrere. quod ut demonstrem pauca tantum affero quae singula fortasse casui tribuas, sed omnia si simul reputaueris non poteris opinor quin ad meam sententiam accedas.

atque in secundo libro inter 676 pentametros 42 finiuntur uocabulis hyperdisyllabis i. e.  $6^{194/676}$  inter 100, in tertio 9 inter 443 i. e.  $2^{14/443}$  inter 100. in qua numeratione omisi uersus in nomina propria plusquam disyllaba cadentes. deinde in secundo libro Propertius semiseptenariam cum trithemimeri coniunctam uicies ter ita adhibuit ut etiam port tertium trochaeum auxiliaris caesura incideret, sedecim illius generis caesuras sine trochaicis adiuuantibus admisit. contra in tertio libro uicies quinquies cum cura, quater tantum negligentius caesura illa usus est. similiter septies sola semiseptenaria usus est in secundo libro i. e. semel inter 96 hexametros, in tertio ter i. e. semel inter 148. tum in secundo libro hexameter quinquies aut uocabulo quinquasyllabo seu tetrasyllabo clauditur aut arsis quinti pedis plus quam monosyllabo thesis disyllabo uocabulo constat, in tertio libro illa licentia semel, haec numquam occurrit, quod Lucian. Müller praef. Prop. p. XLVIII obseruauit. cumque elisiones apud elegantissimum quemque poëtam non adhiberentur nisi in prima thesi secunda arsi totoque quarto pede, Propertius contra hanc regulam in secundo libro sexies in tertio numquam peccauit quam obseruationem iam apud Eschenb. lib. miscell. societ. Bonn. p. 86 lego.

haec omnia non potuissent fieri, si poëta libidini nescio cui indulgens carminum suorum ordinem turbasset simulque illos libros edidisset. immo elegiae tertii libri post secundi scriptae sunt et liber tertius post secundum in bibliopolarum manus peruenit.

## 2.

cum iam ad ipsa tempora definienda peruenerimus, accedamus ad decantatos illos uersus:

III, 25, 3: quinque tibi potui seruire fideliter annos.

et III, 16, 9: peccaram semel et totum sum pulsus in annum.

atque Lachmannus qui septem amoris annos pro quinque statuit excepto discidii illius uno anno, procul dubio grauissime contra uersum priore loco positum peccauit. rectius Hertzbergius ita carminum tempora rimatus est ut per quinque annos Cynthia amata esset. sed hic in ea causa a uero fortasse aberrauerit quod Propertium in uersu III, 25, 3 discidii tempus excepisse sibi persuasit. in qua re Lachmannum sequitur qui p. XXIII sic disputat: *quomodo enim Propertium illo anno, per quem pulsus fuit, Cynthiae seruisse censebimus?* cui interroganti responderi potest: an non tenetur seruitio puellae durissimo qui in uiduo lecto frustra somnum quaerit amorisque perpetitur tormenta omnia, gaudiis fruitur nullis? itaque cum Lachmannus sententiam suam parum demonstrauerit, uideamus ipsi quid rei sit. atque Sextus discidii annum fortasse non inter quinque illos numerasset, si ipse Cynthia reliquisset aut quamuis a Cynthia pulsus tamen ira commotus amoris feruorem ad uiles in quadriuiis et angiportis uagantes transtulisset nec ullo desiderio amoris cruciatus esset. at Cynthia pepulit Propertium neque credi potest eum tempora irae tam aequo animo tulisse, quamquam interdum non ueri feruoris sed palaestrae nitorem apud poëtam nostrum aspici concedo. nostro quidem loco illud discidium saeuitiae Cynthiae exemplum est. qui autem propter discidium saeua ea esse potuit nisi contra amantem et desiderantem? itaque discidii annum poëta in u. III, 25, 3 non excepit. quod etiam magis intelleges si ad furorem illius loci attendas. summa enim ira incitatus poëta, cum describeret quam puella in fidissimum et constantissimum amatorem crudelis fuisset, certe maiorem potius quam minorem annorum numerum posuit. neque igitur octo annos, ut Lachmannus statuit, neque sex, ut Hertzbergius, sed quinque poëta Cynthia amauit.

## 3.

nunc iam omni ui nitendum est ut primam primi libri elegiam recte interpretemur. atque ut iam initio sententiae meae summam ponam, haec elegia scripta est, cum poëta totum annum



alterna amoris et odii Cynthiae unda iactatus esset, Cynthia poëtam nostrum aut nondum nouisset aut non admisisset. Lachmannus contra huius carminis tempore Propertium iam et amauisse et amatum esse, ut ex discidii anno haec elegia esset, sibi persuasit. quam sententiam ut refellam tria argumenta affero: primum si contulerimus carmina III, 24. 25 quibus finiuntur et tres amoris libri et poëtae amor, illam primam primi libri elegiam qua se a Cynthia captum esse canat primo amoris tempore scriptam esse probabile fiet. deinde, ut rectissime Hertzbergius p. 42 exposuit, Milanionis exemplo Propertium non hoc agere ut dominam recuperet sed ut primo sese in puellae amorem insinuet demonstratur. postremo hos uersus perpendas:

uos remanete quibus facili deus annuit aure,  
sitis et in tuto semper amore pares.

si enim poëtam nondum a Cynthia amatum esse statuamus, recte se habet hoc: *uos remanete quibus Amor annuit, ego cui nondum annuit abeo.* sed ex Lachmanni sententia, quod Amor Propertio iam annuit sed non assidue fauebat, hoc potius dici debebat: *uos remanete qui amamini.* alioquin enim eum ipsum quoque remanere necesse esset.

iam quaeritur num Sextus hunc furoris annum inter quinquennium illud numerauerit. atque mihi quidem poëta acerbissimum seruitium tulisse uidetur, quod ferrum et ignem et exilium toleraturus est maximeque omnium huius anni furoris eum poenitere necesse erat, postquam perfidiam puellae penitus perspexit. quid autem sequitur, si recte disputauimus?

nostram elegiam ante ceteras omnes ad Cynthiae missas uel Cynthiae amorem commemorantes scriptam esse et ex primo quinquennalis illius seruitii anno nullum carmen exstare.

## 4.

sed accedamus ad temporis definitionem carminis III, 4. atque Hertzbergius qui primus omnium paullo accuratius Dionem inspexerat ante annum 731 elegiam illam scribi non potuisse recte contendit. nam usque ad illum annum Augustus filium Phraatis

Romae tenebat obsidem per eumque se omnia assecuturum esse sperabat. illo autem anno legati Parthorum et tropaea et captiuos se reddituros esse promiserunt, ut Augustus Phraatis filium patri remitteret. neque mensibus proxime sequentibus Caesar tanto spatio inter Italiam et Parthorum regnum interiecto Phraatis promissis stare cunctantis perfidiam adeo ut bellum decerneret perspicere potuit. tum iam uere anni 732 Tiberis urbem inuasit, fulminibus cum multa alia tum hasta signi Augusti in Pantheo positi icta est, peste et fame permulti perierunt, ut tot tantisque malis irrumpentibus Italiamque deuastantibus Caesar de bello Parthico cogitare omnino non posset. cumque librum tertium post Augusti profectionem editum esse constet de qua re uide carmen 12., nullum tempus est, quo maiore necessitate Propertius moueri potuerit ut dedita opera carmen componeret quo quasi sub aspectum nostrum exercitus profectionem subiicit, quam ipsa illa Augusti et exercitus profectio quam Dionem secutus exeunti anno 732 tribuo. cum enim ille narret eo ortam esse annonae caritatem quam anno 732 Augustus sustulit quod propter pestem ager coli non potuisset, post messem famem Italiam inuasisse apparet. quam etiamsi ἐν ἀλίγαις ἡμέραις (. ΝΩ . Ι . ΑΙΣΗΜΕΡΑΙ) Caesar expulit, ut in Monumento Ancyrano (pars graeca 3, 7 ed. Momms.) ipse de se gloriatur, tamen posteriore anni parte eum profectum esse sequitur.

## 5.

restat ut elegias III, 24. 25 cum prooemio illius libri post reliqua eius carmina certe post III, 4. 5 fictas esse demonstrum. uersibus enim 9—14 Propertius cum de pristino suo amore loquatur, non tam amoris quam elegiarum illius amoris memor est. nam uersus 9:

quod mihi non patrii poterant auertere amici

ad I, 1, 25. 26: aut uos, qui sero lapsum reuocatis, amici,  
quaerite non sani pectoris auxilia,

u. 10: eluere aut uasto Thessala saga mari

ad I, 1, 19—24: At uos, deductae quibus est fallacia lunae  
et labor in magicis sacra piare focus,

en agedum dominae mentem conuertite nostrae  
et facite, illa meo palleat ore magis,

- u. 11: haec ego non ferro non igne coactus  
ad I, 1, 27: fortiter et ferrum, saeuos patiemur et ignes,  
u. 12: et ipsa  
naufragus Aegaea uera fatebar aqua

ad carmen I, 17 referendi sunt. uides illos uersus non tam Cynthiae quam lectoris causa scriptos esse. alioquin enim Propertius non tanta cum cura illos locos respexisset. si autem poëta non solum Cynthiam pristini amoris commonefacit sed imprimis lectorem ad primi libri elegias ablegat, hoc carmen 24. in edendo tertio libro i. e. post reliqua tertii libri carmina ut apte ille liber finiretur factum esse apparet. id quoque ex eadem re colligimus carmen 25 cum c. 24 coniunctum unam elegiam esse — nam carmen finiendi libri causa fictum etiam fine libri legi necesse est — quod iam antea mihi quidem propter artam harum elegiarum cohaerentiam certissimum uidebatur. postquam enim 24, 15—18 se portum attigisse exsultauit, 24, 19—25, 4 se ut nunc bona ita antea insana mente fuisse exponit.

sed licet aliis hoc quod modo exposui minus probabile uideatur, id tamen nemo negabit carmina 24. 25. post cc. 4. 5 scripta esse. alioquin enim alia s. aliae puellae essent, de quibus in cc. 4. 5 poëta loquitur. sed Sextus Cynthiam illam esse lectorem credere uoluit, cum diceret III, 2, 15. 16

fortunata meo si qua est celebrata libello!  
carmina erunt formae tot monumenta tuae.

sed ut concedamus fieri posse ut poëta fucum lectoribus fecerit, tamen neque probabile est eum, qui tanta cum perturbatione animi quantam in cc. 24. 25 haberemus puellam reliquisset, amoris sui libellos finire et edere noluisse, neque eum qui tam irato animo amorem detestatus sit paullo post (in c. 5) totam uitam amori dare uelle tamque felicem et quietum esse quam Propertius in quinto carmine est.

## 6.

cum igitur carmina 24. 25 post cc. 4. 5 i. e. post autumnum anni 732 scripta sint, ut et oriendae et crescendae simultati tempus aliquod demus, amorem fine anni 732 desiisse necesse est. itaque, quod ex primo quinquennii illius anno carmina amatoria non exstant, prima primi libri elegia exeunte anno 728 uel ineunte 729 scripta est et tres priores libri inter finem anni 728 et anni 732 editi sunt. atque tertius ut dictum est fere exeunte anno 732, secundus ni fallor fere exeunte a. 730. nam anno 731 carmen III, 18 tribuendum est, carmen III, 15 propter uersum 7:

tertius haud multo minus est cum ducitur annus.

fere exeunti anno amoris tertio i. e. fere exeunti anno 730. itaque ante hoc tempus secundus liber Ianum aspexit. denique primum librum plus quam septem mensibus ante secundi libri editionem in lucem uenisse propter u. II, 20, 21. 22:

septima iam plenae deducitur orbita lunae,  
cum de me et de te compita nulla tacent.

necesse est.

## 7.

quibus cum rationibus ea quae praeterea certo de quarundam elegiarum tempore scimus aut nequaquam pugnant aut optime conueniunt.

nam carmen II, 31. a. d. VIII id. Octob. anni 726 scriptum in primum librum soli amori destinatum poëta recipere noluit. duo enim tantum carmina primi libri non sunt amatoria, ultimum et paenultimum. sed illud more ueterum Romanorum lectori de ipso poëta narrat, hoc ad illustrandos uersus I, 22, 6—8 additum uidetur.

neque minus cum his conuenit quod de carmine II, 10 exploratum est. nam u. 16 ad Aelii Galli expeditionem Arabicam respicit qui ut ex Strabone XVI, 4, 29 sqq., Dione LIII, 29, Iosepho Antiqq. Iudd. XV, 9, 1 sqq. necessario colligitur (cfr. Momms. Mon. Ancyr. p. 74 sq.) aestate anni 729 Cleopatri de Leucocomen profectus fere nono uel decimo anni 730 mense Alexandriam rediit.

atque, quod Augustus multum illam Arabiae inuasionem sibi profuturam esse sperauerat (Str. XVI, 4, 22) tamque res male gestas aegre tulit ut proditorem Syllaeum, Nabataeorum ducem, Romae interficeret (ib. 26), Aelium Gallum ex Aegypto reuocaret\*), post infelicem illius expeditionis euentum poëta qui inflato ore diuinam Caesaris gloriam canit turpissimae illius cladis mentionem facere non potuit. itaque illud carmen ante exitum anni 730 conditum esse sequitur. cui tempori etiam uersus 13. 14 conueniunt. nam filius Phraatis tum Romae tenebatur ut pater quamuis inuitus omnia quae Romani imperabant facere coactus esset. tum propter uersum 15:

India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho

elegiam non ante annum 728 scriptam esse demonstrabo. respicit enim is uersus ad Indorum legationem quam Dio LIX, 9 significat: καὶ οἱ Ἴνδοι προκηρυκκευσάμενοι πρότερον φιλίαν τότε ἐσπέισαντο, Orosius 6, 21, 446 ut dubium esse non possit narrat: *interea Caesarem apud Tarraconem, citerioris Hispaniae urbem, legati Indorum et Scytharum toto orbe transmissa tandem inueniunt.* erat autem Caesar annis 728 et 729 apud Tarraconem.

## 8.

quae praeterea uiri docti de temporibus disputauerunt, aut dubia sunt aut falsa. nam ut exemplum adferam, quod Hertzbergius contendit Aelium Gallum Aegypti praefectum et Propertii amicum eundem esse, prorsus incertum mihi uidetur. sed antequam iudicemus conferamus

I, 21, 4 sqq. Miles —

pars ego sum uestrae proxima militiae.  
sic te seruato ut possint gaudere parentes  
nec soror acta tuis sentiat e lacrimis.

parentes illi fugientis militis parentes sunt, non mortui. nego enim illud enuntiatum sic accipi posse: sic te seruato, ut mei parentes

---

\*) iam enim initio anni 731 i. e. Herodis regni anno quarto decimo Herodem a Petronio, Aegypti praefecto, annonam emisse Iosephus tradidit (Antiqq. Iudd. XV, 9, 1).

gaudeant. sed quid illius fugitiui militis parentum interesset de defuncto scire, nisi huius quoque parentes essent? itaque Gallus fratri haec mandata dat, unde iam recte accipies quartum uersum. quae cum ita sint, probabilissimum est mortuum illum Gallum Sexti amici fratrem fuisse illamque sororem, de qua uersu sexto audimus, carminis duodecimi libri III Aeliam Gallam esse. sed etiamsi Gallus noster e gente Aelia erat, tamen dubitari potest an idem fuerit atque ille Arabicae expeditionis dux. nonne potuit is aut pater aut patruus aut patruelis nostri Galli esse? sed ut illi Galli iidem sint, hoc meis cum rationibus non pugnat. nam Gallum ex Aegypto aestate anni 729 profectum paullo ante Augustus illi prouinciae praeficere potuit, de qua re prorsus nil scimus. itaque potuit Propertius illa carmina ad Gallum missa exeunte anno 728 et ineunte 729 fingere.

deinde elegiam I, 6 anno 727 tribuit, quod Tullus, anni 721 consul, propter legem Iuliam anni 701 ab Augusto anno 727 sancitam neque antea nisi rarissime laesam ante 727 in prouinciam abire non potuit. atque accedo Hertzbergio in ea re quod Tullum in patrum cohorte in Asiam profecturum fuisse illamque elegiam post annum 726 necessario scriptam esse censeo. sed ipso illo anno compositam eam esse nego. nam propraetorum et proconsulum numerus eo tempore multo maior erat quam prouinciarum, quod a triumuiratus temporibus usque ad annum 727 non omnes praetores et consules prisco more sed ut tribus illis tyrannis libuit prouincias nacti erant. quam ob causam una prouincia pluribus tributa est ut Dio testatur LIII, 14: *καὶ χρόνῳ μὲν τινι πάντες οἱ τοιοῦτοι εἰ καὶ πλείους τῶν ἐθνῶν ἦσαν ἐλάττανον αὐτά.* sed ne sic quidem omnes prouincias suas primo uel secundo anno nancisci potuerunt. certe si Tullus iam anno 727 Asiam administrasset mirum hoc potius esset quam probabile. ego Tullum anno 729 in Asiam abiturum fuisse probabile duco quod anni 721 consul ex ultimis erat quorum senatus in diuidendis prouinciis rationem habere potuit.

tum carmen II, 7 anno 728 Hertzbergius tribuit sic argumentatus: Dio de hac lege postea Papius Poppaeo consulibus lata nihil narrat, atqui rem tam grauem non omisisset, ergo ei anno

lex illa tribuenda est, ad quem Dio annotauit se propter legum et factorum uim omnia narrare non posse i. e. anno 727, ut illud edictum anno 728 sublatum esse probabile sit. sed primum non iniuria dubitare mihi uideor, an tam accurate omnia Dio narrauerit, ut hoc modo ex silentio colligi posset. praetera Hertzbergius locum illum non truncatum adscribere debebat: *ἔπρατε καὶ ἐνομοθέτει πολλά* (sc. ὁ Ἀγροστῖος). *οὐδὲν δὲ δέομαι καθ' ἕκαστον ἀκριβῶς ἐπεξιέναι, χωρὶς ἢ ὅσα τῇ συγγραφεῖ πρόσφορά ἐστι. τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο καὶ ἐν τοῖς ἔπειτα προαφείσει ποιήσω ἵνα μὴ καὶ δι' ὕχλου γένωμαι πάντα τὰ τοιαῦτα ἐπεσφέρων, ἃ μὴδ' αὐτοὶ οἱ πάνυ ἀνὰ μελετῶντες ἀκριβοῦσι.* uerba diductis literis notata Hertzbergius omisit siue caecus siue ut detorto testimonio lectorem circumduceret. iam opinor apparebit ex illo loco de nostrae elegiae tempore prorsus nihil concludi posse.

cetera quiuis facili opere corriget.

## V.

de quarto Propertii libro cum multa quaerenda essent quae et quaestionem poscerent et suauissimum quaerendi laborem praeberent, nil tamen ita animum allicuit quam Lachmanni sententiae censura, qui quartum librum fragmina rudia et indigesta ab amicis edita putauit. semper enim mirum mihi uidebatur quod haec temere in ceras coniecta carmina tantam metri curam demonstrant ut suo iure omnes periti poëtae diligentiam laudauerint. nec minus dubitauit an quae ex Lachmanni sententia ita non cohaerent ut ne puer quidem balbutiens uerba tam interrupta et dissipata iaceret, haec ita elaborari possent ut nil desideraretur. denique discere cupii utrum Propertius ungue morso stiloque sexcenties uerso carmina sua feruoris plena excogitasset an ingenii quoque nec solius molesti laboris fructum aspiceremus.

quas quaestiones ut si non ad finem perducam tamen incohem iam primam elegiam optime cohaerere demonstrabo.

atque uersibus 1—8 de aspectu quem Roma antiquissimis

temporibus praebuit, uu. 9—16 de uetere ciuitate, uu. 17—26 de illius aetatis deorum cultu, uu. 27—30 de re militari poëta agit. primam autem partem sic instituit, ut uersibus 1. 2. in uniuersum omnia prata fuisse diceret cumque pratorum mentionem iniecisset de eo quoque lectorem certiolem faceret ubi bouum concubitus fuisset. atque magnificentissima Romae aedificia templa erant quam ob rem ea uersibus 5. 6 tangit. iam concludit hanc partem, cum duo loca nunc egregie ornata et frequentata tunc nuda et deserta fuisse narret, Capitolium et Tiberim sub Capitolio fluentem, ubi emporium nauium plenum pontes porticus splendidissimae campusque Martius erat. nonne fatendum est breuissime poëtam totius Romae imaginem quasi sub oculos nobis subiecisse, cum totam urbem collem et herbas, templa casas, celeberrima loca deserta fuisse diceret? unum tantum uideo quod iure aliquis uituperet, bouum dico mentionem iteratam. sed hoc apud Propertium nullam offensionem praebere hoc loco demonstrabo:

I, 2, 1 sqq. quid iuuat ornato procedere, uita, capillo  
 et tenues Coa ueste mouere sinus  
 aut quid Orontea crines perfundere murra,

ubi, cum primo uersu de ornato capillo, tertio de murra dicatur, non herele bene capilli notio recurrit.

deinde de ciuitate ita loquitur, ut a regibus exordiatu uu. 9. 10: unum fratrum focum ea fuisse regna quae postea maxima facta essent. iam pergit ad Quirites (11—14) qui tum temporis a senatoribus non diuersi erant, ut Liuius quoque I, 8, 7: *centum creat senatores siue quia is numerus satis erat siue quia soli centum erant qui creari patres possent*. hi Quirites non praetextis sed pellibus induti bucina cogeantur nec raro in prato senatum habebant. neque tum theatra erant, ubi postea magistratus senatores equites Romae honoribus afficiebantur. (15. 16.)

porro de ueteris Romae deorum cultu agit. non tum Romanos ex libris Sibyllinis externos diuos quaesiuisse ut sese expiant, sed oscillationibus et faeno adcenso se purgasse. sequitur de Vesta, Compitalibus, Lupercalibus ita ut uituperari nihil possit.

in eo tamen recte uiri docti haeserunt, quod illud *annuaque celebrare* positum est quasi praecederet *omnibus cura fuit*, cum



tamen uersu 17 legeretur *nulli cura fuit*. neque plane geminum exemplum quamquam similia Hertzbergius multa annotauit mihi notum est. sed nos qui semper construere coacti simus, ut enuntiatum aliquod intellegamus, magis in hac re haerere puto quam ueteres qui ab infantibus hac lingua usi sint. neque praesertim cum uersus 18 interpositus sit, tam difficilis haec constructionis mutatio esse mihi uidetur, ut Propertium in omni genere audacissimum in elaborato carmine hoc euitaturum fuisse arbitrer.

denique eorum uersuum quibus de re militari egit priores duos iam supra meritis laudibus extulisse mihi uideor. neque minus posterioribus neruosa inest breuitas: rustico galero tectus erat is qui prima praetoria posuit, antea enim milites tulerunt *aprico frigida castra Lare*, et dux celeberrimus Tadius simul pastor erat.

hoc modo postquam singillatim poëta de uetere Roma dixit, iam ad concludendam primam huius carminis partem progreditur sic: hinc i. e. ex his tenuissimis initiis Ramnes Titius Luceres orti sunt et Romulus triumphauit. deinde quod sequitur *quippe* non accipio ut Hertzbergius *et erant qui debellari possent, propinqua ciuitates, quae nunc uix comparent, tunc hostes haud spernendi*, sed ita ut illam particulam ad uocem *hinc* referendam esse putem: ex his tenuibus initiis, nam Bouillae suburbanae ideoque periculosissimae tunc ipsa urbe maiores erant et q. s. ueram enim duco Groningani codicis scripturam:

quippe suburbanae paruae minus urbe Bouillae.

optime, quod Bouillae etiam tunc paruae erant, sed tamen minus paruae urbe. nam contra Neapolitani *parua minus* rectissime pugnauit Lachmannus, contra Lachmanni *parua minus* Eschenburg. obseruat. crit. in Prop. Bonnae 1865. nec minus Gabii tunc pro Romae infirmitate maxima turba erat:

et stetit Alba potens, albae suis omine nata,  
hac ubi Fidenas longe erat ira uias.

atque hoc loco quod *Fidenas uias* prorsus singulariter dictum esset et optime Müllerus praef. in Prop. p. XLIX et L illam elisionem *longe erat* in suspicionem uocauit, Puccii *longa — uia* praferam. quae lectio etiamsi coniectura effecta est, tamen fatendum est faciliorem

emendationem inueniri non posse. nam postquam *Fidenas* — *uia* in *Fidenas* — *uias* mutatum est, necessario errore *longa* in *longe* abiit. sed qui hunc locum interpretemur? neque ita hercle ut Albam inter Romam et Fidenas sitam esse dicamus neque ita ut Albam Romae fuisse censeamus, ad quam ineptam sententiam Lachmanni interpretatio redit: stetit Alba hac ubi uiae Fidenas ducentes longae erant i. e. Romae. sed nonne necessario eo ducimur ut uia Fidenas s. uiae Fidenae non Romae sed Albae fuerint. quod autem uiam illam longam ad Albae cognomen notissimum *longa* referendam esse apparet, ut ob eandem causam et Alba et uia illa fuerit longa, uia Fidenas per totam urbem duxisse uidebitur: nec minus Alba tunc stetit i. e. nondum deleta erat et ibi quidem ubi longa illa uia erat, quo significatur eam urbem, in qua longa uia fuisset, et ipsam longam fuisse et potentem. quam sententiam pono quamquam aliunde nil de Fidenate uia Albae scio. sed recte mihi uideor ex hoc loco eam collegisse. quam interpretationem si non accipis, ullam sententiam illi uersui subesse nego, coniecturam probabilem numquam inuentum iri tantum non affirmo.

cum igitur a paucis pastorum casis Romam originem ducere expositum esset, ita hanc carminis partem concludit poëta, ut Romanum alumnum primis temporibus nil habuisse dicat, ne nutricem quidem humanam, ut eadem cogitatio quae iam in uu. 31 — 36 erat etiam augeatur et ad summum gradum perducatur.

sequitur secunda carminis pars. postquam enim uetustissimae Romae simplicitatem depinxit, quam tamen dei illis initiis propitii fuerint narratur: huc i. e. ad terram modo descriptam quod Troia Penates misit melius erat quam si ibi remansissent. nam proficiscentibus iam bona erant omina (40—47), aduenientes in Italiam fausta terra excepit (48—54), aduenarum prolem ut nutriret Mars pater ipse lupam suam misit (55. 56). quam ultimam sententiam poëta sic formauit, ut apta esset totius carminis clausula.

iam Propertius, qui non una integra elegia sed additamento quodam consilium quod cepit exponere constituit, tertia parte sic pergit: miramini quod de moenibus loquor. sane quidem nunc moenia pio dispono uersu. in sequentibus nil est quod quis iure uituperet.

in eo quod sequitur carmine (I, 71 usque ad finem) Lachmannus non recte post uu. 82. 86. 88. sententiarum nexum interruptum esse censuit. postquam enim uates ille uu. 75—82 se nobilibus proavis similem, huius temporis astrologis fallacibus prorsus dissimilem esse dixit, iam quae possit enumerat. tam magnificas et grandes res uelut *Troia cades* et *Troïca Roma resurges* neque minus maris terraeque longa sepulera se canere ualere (83—88). nam ne haeseris in illo:

dicam *Troia cades* et *Troïca Roma resurges*

quod est dicam talia qualia *Roma cades* et q. s. simili modo interpretandum est II, 5, 27:

scribam igitur —:

Cynthia forma potens, Cynthia uerba leuis.

nam hoc non totum idque ipsum est quod Propertius de Cynthia scribere uult, sed talia dicturus est qualia *Cynthia et q. s.* nec minus apte confertur II, 28, 44:

scribo ego *per magnum salua puella Jouem.*

deinde uersu 89 uates ad duo sapientiae testimonia enarranda pergit. nec uersum 117 Lachmannus notare debuit. nam pro *tu quoque Aia Oiliade naufragium passus tuae scelestae rapinae poenam dedisti* optime poëta illius infortunio exultat: *nunc i. e. cum nates iam rape uictor Cassandram.* in uersu 127 non offendet qui etiam apud Ciceronem per particulam *que* ad prorsus nouam rem transiri scit neque solum ita ut totus locus finiatur, denique uersus 135 et 147 Heimreichius eo ab obiurgatione liberauit quod uersus 135—146 Apollini dedit.

secundi (uel potius tertii) carminis dispositionem et consilium tum demum intellegemus si primum et secundum uersum recte explicauerimus:

quid mirare meas tot in uno corpore formas?

accipe Vertumni signa paterna dei.

i. e. miraris signum meum a Mamurio factum, in quo multae in uno corpore formae aspiciuntur? sed ego tibi narrabo de paterno signo in Etruria patria mea facto, quod inter praelia patriam deseruit. nam necessario uersus primus de Mamuri opere intellegen-

dus est, quod non nisi de signo interroganti de signo responderi poterat. ex quo id quoque intelleges nuperrimi editoris *signa petita* quod elicuit ex O sui scriptura *petenda* ferri non posse quod nequaquam poëta hoc carmine de Mamuri statua narrat nisi forte extremis uersibus qui iam non ad id quod elegia nostra exponitur pertinent. immo *petenda* interpolatum aut errore ortum est pro eo quod difficile intellectu erat aut uetustate oblitteratum *paterna*. itaque consilium suum deus postquam dixit secutus se Tuscum fuisse narrat Volsiniis se Romam uenisse, ubi turba praetereuntium se iuuaret. antea hac Tiberim iter fecisse. tum delabitur in nominis sui interpretationes usque ad u. 48., a quibus ad uestustum illud tempus quo aduenit uersibus demum 49—54 reuertitur neque illius aduentus eum paenitet sed semper illic in media Romanorum turba uersari cupit (55. 56) neque quidquam nisi sex uersus historiam signi sui adumbrantes expetit (57—64). fecit igitur deus quod se uelle uersu secundo dixerat, ita tamen ut rem quae poëtae omnium grauissima uisa est quasi per excursum interponeret. sed hoc quoque cur factum sit apparet. nam si sacra uel cognomina interpretari uoluit ita rem eam instituere potuit ut narrationi alicui a monumento quodam proficiscenti cogitationes suas intexeret. hoc si tenes iam post u. 10 optime u. 11 sequi concedes. neque in meritam uituperationem incidit illud uersus 19 *mendax fama noces* ubi *noces* idem sonat quod *peccas* ut in Heroid. XX (XIX), 35. uerum enim erat, Vertumnum fructus praecipere, falsa tamen illa nominis deriuatio. sed quod Lachmannus uersus 23. 29. 31. 35. 39. 41 ab antecedentibus seiunxit, non possum quin uirum summum poëtam uellicasse iudicem. nonnullis enim locis Lachmannus in tractando quarto libro nimium taedio laboris sui indulsit. ego certe in his omnibus nil uituperandum esse censeo. primum enim per opposita poëta progreditur: puella et uir ero (23. 24), messor sed fero etiam arma ut messoris corbem (25—28), sobrius iudex ebrius potor (29. 36), Iachus Phoebus (31. 32), uenator auceps (33. 34), deinde haec opposita iam minus succedunt, sed uaria et mixta formarum copia optime Vertumni potentiam describit. ne id quidem quod deus post reliquas formas eam memorat, quae sibi propria sit, mirum uidetur (41—46). tum per *at* uersus 47 hanc partem

praerumpit et ad propositam narrationem redit. denique uersus 57 cur apte sequeretur post u. 56 iam significauit.

in tertio carmine, in quo Lachmannus nihil castigauit, quod ego unius loci castigator existo uelim mihi ignoscatur. Arethusa enim cum dicat u. 11 *haecne marita fides* indignatur quod maritus i. e. uir sancto Hymenaeo sibi coniunctus se reliquerit. imprimis autem non perfidiam sed coniugis perfidiam uersibus 11 et 12 ab Arethusa exagitari eo colligitur, quod longa Lycotae mora uersibus 13—16 ex malis nuptiarum ominibus explicatur. sed si Arethusa mariti scelus uu. 11 et 12. exprobrare uoluit, potuitne hoc languidius instituere quam si in altero enuntiati membro omnino non commemorauit nuptias?

— et pactae sunt mihi noctes,  
cum rudis urgenti bracchia uicta dedi?

itaque uideamus num accita codicis Neapolitani lectione *auia* hanc notionem in posteriorem uersus 11 partem inferre possimus. nam quod uulgo scribitur *et pactae sunt mihi noctes* et quod Baehrensium ex codicibus D V desumpsit *hae sunt pactae mihi noctes* interpolata esse apparet neque qui ex his lectionibus *auia* ortum sit enucleari poterit. Etiam Hauptii coniecturam *et pactae in sauiam noctes* a Leone et Kiesslingio nuperrime laudatam non possum quin reiiciendam esse arbitrer. primum enim Vahlenus illud *pactae* adeo cum uerbis *in sauiam* quasi in unum coïre putat ut quod sequatur *cum tibi urgenti bracchia uicta dedi* iam non a uoce *pactae* pendere possit. deinde id effectum non esse uidetur quod desideratur, nuptiarum dico mentionem. postremo *sauia* a grandi et magnifico huius loci dicendi genere abhorrent.

Itaque sic scribe:

haecne marita fides et pactae aula mihi noctes,  
cum rudis urgenti bracchia uicta dedi?

haecne tua mihi sancte desponsa fides, haec illae noctes quas tunc mihi in atrio promisisti, cum uirgo maritum te secuta sum. atque de aula si quaeris, satis erit Horatii decantatum illud: *lectus genialis in aula est*. iam metri difficultatem infringam ita ut in prioribus tribus libris ter ante disyllabum quintae theseos uocabulum hypermonosyllabum, nouies monosyllabum occurrere dicam.

itaque cum in quarto libro quater monosyllabum ante quintae the-  
seos uocabulum disyllabum inueniatur, unam concedas licentiam.  
de ablatiui autem usu monere non opus est. itaque uides Neapo-  
litani *parce* mero errore ex *pacte* ortum esse, in archetypo fuisse  
aut *pacte* <sup>auia</sup> <sub>mihī</sub> *noctes* aut *pacte* <sup>mihī</sup> <sub>auia</sub> *noctes*, Neapolitanum et Gro-  
ninganum uerum seruasse, editoris nuperrimi *hae sunt pactae* quod  
ex DV desumpsit ab interpolatore profectum esse.

in quarto carmine illud *hunc fontem* uersus 7 nemo obiurgabit  
qui Propertii aetate de fonte aliquo in Capitolio oriente inter  
omnes constare potuisse concedit, uersibus 9—14 poëta iis respon-  
det qui quomodo in urbe ualla construi potuerint interrogant, uo-  
cabulo *hinc* uersus 15 ad fontem illum reuertitur. neque repeti-  
tum illud *fonte* (14. 15) mirum putabit qui in hoc genere socor-  
dissimum Sextum esse uiderit. iam peruenimus ad hunc locum:

17. et satis una malae potuit mors esse puellae  
quae uoluit flammās fallere, Vesta, tuas.

hos uersus sic ut tradantur hoc loco intellegi posse cum Lach-  
manno nego. interrumpunt enim narrationem placide fluentem ut  
nullo pacto ferri possint, annectuntur particula *et* ad hunc locum  
prorsus non accomodata.

contra si post u. 92 leguntur, cum Hertzbergio rhetoricam  
illam interrogationem post *simplices incomptae orationis neruos*  
aptam non esse censeo. deleretur enim plane breuitas illius loci  
in qua nescio quid frigoris et dignitatis inest praesertim in illo  
transitu:

a duce Tarpeia mons est cognomen adeptus.

postremo ne hic quidem illud *et* commodum esset. *urna* autem  
quod Lachmannus pro *una* scripsit non placet quod *urna* causa  
mortis non erat, quae rectius fortasse fons dici potuit. nam si  
patera uel cado hausisset num minus Tarpeia mortua esset? sed  
iam lege ultimos nostrae elegiae uersus:

a duce Tarpeia mons est cognomen adeptus:  
o uigil iniustae praemia sortis habes.

sic scribas *iniustae*, quod Lachmannus quoque in editione  
Berolinensi scribere uoluit sed siue operarum errore siue calami  
lapsu *iniuste* scripsit. nam in adnotatione legitur: iniuste G. R.

quod enim uocabulo *uigil* ironice propter Tatii curam Tarpeia laudatur, non recte se habet *iniuste praemia habes, debuisti puniri*, immo iure ac merito uigil illa praemia accepit ut uersu quoque 92 pro officiis dotem assecuta erat, sed pro mala cura mala debebat accipere praemia. quod autem mons a duce Tarpeia cognomen adeptus est, bona uidebantur praemia et ei quae mala meruerat iniustae sortis praemia. iustum enim huius quidem uigilis praemium mors erat. sed qui Propertius hoc dicere potuit: *o Tarpeia sors iniusta tibi est*, cum tamen mortem saltem iure passa esset? quam ob causam opinor plerique praetulerunt *iniuste*, sed ut dixi sales hoc modo poëtae ademerunt. ego contra uersus supra molestos auxilio uenire iubeo:

a duce Tarpeia mons est cognomen adeptus:  
 o uigil iniustae praemia sortis habes  
 et satis una malae potuit mors esse puellae  
 quae uoluit flammam fallere Vesta tuas.

iniustum praemium tibi gloria est ex montis Tarpei cognomine parata et mors potuit una i. e. sine illa gloria satis praemii tibi esse. qua transpositione omnes simul offensiones, quas uu. 16. 17. 94 praebuerunt, euanescere mihi uidentur. restat unus locus quem Lachmannus uituperauit:

mons erat adscensu dubius festoque remissus,

ubi duas res perquam male coniungi dicit. sed ego hunc uersum aliter accipio. nam *dubius* ut *periculosus* cum uox anceps sit ut et arcis incolis et hostibus mons dubius esse possit, addito *festoque remissus* accuratius definitur, ut *dubius festoque remissus* quasi unam efficiat notionem, in quam sententiam iam caesura semiquinaria duci potuit.

carminis quinti foeditatem octauae lasciuiae quod Lachmannus auersatur, in utraque elegia uirum summum morum illius aetatis ratione non habita iniuste iudicasse fatendum est. sed ut recte odium nimium quinti, intemperantia octauae carminis uituperetur, ars poëtae certe nimis laudibus efferi non poterit.

iam cum in sexto et septimo carmine Lachmannus taedium cohibuerit, de octauo supra iudicatum sit, ad noni uersum tertium transeo, ubi *inuictos* ideo dictum esse censeo quod Cacum ante

Herculem nemo uicisset. uersûs autem 35 *sonantia* Hertzbergius non male defendit.

in decimo carmine primum (u. 5) reprehendunt *imbuis primae huius palmae exemplum*. sed ut *iactus per brachia falluntur* i. e. per brachia, ut alter pilam manibus non excipiat, fallendo iactus efficiuntur (III, 14, 5.), ut *siccis oscula falle genis est siccis genis oscula dando falle* (IV, 11, 80), sic *imbuis exemplum primae huius palmae* significat *primum exemplum huius palmae dando imbuis hanc palmam*. simili modo dicitur *pastorem curare*, quod *greges curando pastorem esse* (IV, 2, 39) et *fastus terere* i. e. *terendo tempus fastuosam esse* (III, 13, 10). deinde u. 40 uoci *cum iam* Lachmannus patrocিনatus est. denique in uersibus 43. 44:

illi uirgatis iaculantis ab agmine braccis  
torquis ab incisa decidet unca gula,

uiri docti non attenderunt, quod Propertius satis perspicue mutato pronomine (*hic* 41. — *illi* 43) significauit, *illi* ad Claudium referendum esse.

carmen undecimum neque quisquam uituperauit neque inest aliquid uituperatione dignum neque poëtam carmen ad Augusti gratiam firmandam compositum non elaborasse probabile est.

itaque cum metrum quarti libri multo limatius sit quam ceterorum iniuriaque illa omnia opprobrio Propertio data esse demonstrauerim, de eo iam dubitari non poterit quin liber quartus tam perfectas quam priores elegias contineat. ea tamen quaestio restat, qui factum sit ut Lachmannus in hunc errorem incideret. atque primum hunc librum uel *αἰτίων* certe carmina multo obscuriora ceteris carminibus esse confiteor. nam nunc quae aliunde plane ignota sunt nunc quae in angulo aliquo litterarum traditarum latent in his elegiis commemorauit. cumque Sextus iam in prioribus libris audacia quadam a reliquis poëtis differat nec semper particulis interpositis operam det ut progressus sententiarum statim a quouis intellegatur, hae proprietates omnes magis etiam in quarto libro conspiciuntur. solet enim quiuis quo magis ingenium colat, eo longius a communi cogitandi et scribendi ratione recedere. tales difficultates Lachmannus strenue suscepto et breui tempore finito neque hercle facili labore fessus propterea superare non



potuit, quod reiciendi nugae grammaticas et arma contra rediniuum illum Caesarem capiendi cupidissimus erat. praeterea quod coniecturae permultae iam ab aliis occupatae erant, stomachosus erat et taedii plenus. neque opinor sine irritato hoc animo quintum et octauum carmen cura indigna iudicasset. his rationibus ductus iniustum Lachmanni iudicium qui ortum sit recte explicare mihi uideor. Post Lachmannum Hertzbergius singulari diligentia ut alibi sic in hoc quoque libro poëtae succurrit multosque locos illustrauit. neque dubito quin ea quoque quae etiam nunc aut explicatione aut emendatione egent felici uirorum doctorum acumine luci reddantur.

---

## VI.

Restat ut eas transpositiones et coniecturas proferam quas non iam disputationibus meis intexui.

### 1.

II, 26, 31, 32. unum litus erit sopitis unaque tecto  
 arbor, et ex una saepe bibemus aqua.

i. e. cum puella per longum mare ibo, una aura fidos duos aget, una dura nauis tabula cubile erit, omnia nauigationis pericula tecum perpetiar etiam si undae uel Iouis incendium nauem deleuerint; ad easdem oras mortui iactabimur, sed Neptunus et Boreas et sidera nobis crudelia non erunt, si autem erunt, honestam mortem in corpore tuo moriar. uides Propertium ita totius cursus molestias et pericula describere, ut in euentu rerum alia res aliam excipere soleat. sed quomodo, postquam aura amantes in mare abstulit, unum litus sopitis esse potest, una arbor tecto, cum eo qui subsequitur uersu terram nondum tactam esse arguatur? sed ut hoc poëtae concedatur, cur litus quo peruenerunt sopitis est, cur sopiti nauem appellunt? quidni domus aliqua tecto eis est? cur ex aqua bibere coacti sunt? quae omnia cum equidem nullo pacto intellegere potuissem, uersus illos post uersum 56 traieci:

si Iupiter nauem incenderit, iisdem oris mortui iactabimur, tunc te undae ad terram eiciant, ut anima tua puluere iniecto quiescat, me licet inhumatum mare ferat. sed hoc non eueniet, Neptunus Boreas sidera mollia nobis erunt. tunc igitur unum litus nobis erit sopitis i. e. summo labore fessis somnoque domitis, non mortuis, tunc in deserto litore quo undae nos eiecerint una arbor tecto nobis erit et ex una aqua bibemus.

carmen III, 7, quod miserum artis poëticae Horatianae fatum perpersum uersibusque susque deque uersis a quibusdam adeo corruptum est, ut non sine taedio legi posset, tamen ne ita quidem recte tractabitur, ut manus prorsus de tabula absteineatur. sunt enim sine dubio quaedam, quae sic ut traduntur a poëtae manu profecta esse non possunt. iam primos quattuor uersus attente legas:

Ergo sollicitae tu causa, pecunia, uitae es!  
 per te immaturum mortis adimus iter.  
 tu uitis hominum crudelia pabula praebes:  
 semina curarum de capite orta tuo.

*per te, pecunia, uita sollicita, mors immatura est.* quid melius cohaerere potest? quamquam duo illa epitheta satis diuersi generis uidentur. sed miror quod, postquam primis uersibus omnia complexis ultimum malorum commemoratum est, tamen etiam aliquid sequitur quod uehementer languet. quid enim post mortem ualent pabula uitiorum crudelia i. e. mortem efficientia? quid tandem post uitiorum pabula semina curarum, quae fere in omnibus pecunia serit, cum uitiorum pabula paucis tantum praebeat? potestne aliquis in ordinandis enuntiatis grauius peccare? sed nego in hac re Propertium alibi aequae rudem fuisse. neque minus id nego prorsus eandem cogitationem aliis u. intermissis bis apud Propertium in eodem carmine inueniri. nam *tu sollicitae uitae causa es et semina curarum de capite tuo orta* idem est diuerso modo dictum. itaque uideas, num hoc melius placeat:

ergo sollicitae tu causa, pecunia, uitae es!  
 semina curarum de capite orta tuo!  
 tu uitis hominum crudelia pabula praebes:  
 per te immaturum mortis adimus iter!

nonne habemus unum et quasi rotundum sententiarum cursum? nunc demum post illud *per te mortem adimus* apte et egregie sequitur: *tu Paetum obruis*. qui error quomodo ortus sit, ex simili uersuum maiorum exitu *uitae es — praebes* ultro apparebit. iam ad uersus 25—28 transitum faciamus.

reddite corpus humo, posita est in gurgite uita:  
 Paetum sponte tua, uilis arena, tegas;  
 et quotiens Paeti transibit nauta sepulcrum,  
 dicat: et audaci tu timor esse potes.

hic non habemus quo illud *reddite* pertineat. quamquam enim saepissime poëta pro tertia persona subito secunda utitur, semper tamen antea de illa persona dicitur, ad quam oratio derigitur. neque uersus 17—24 parenthesis esse possunt, quod his uersibus placide fluentibus in uniuersum de aquae crudelitate narratur. sed ut concedamus poëtam ad uentos et aquas se conuertisse cum diceret *reddite*, tamen uersus illi eas cogitationes interrumperent, quas de maris crudelitate et hominum undas experientium stultitia instituit. nec tamen post uersum 79 locum nostrum ponere possumus. postquam enim tam flebilis ac tener poëta fuit, tam acerbus esse non potuit, ut diceret:

reddite corpus humo, posita est in gurgite uita,  
 Paetum sponte tua, uilis arena, tegas.

si autem a Nereïdibus postulasset ut corpus terrae redderent, certe id quoque poposcisset ut uilem arenam aspergerent. quam ob causam, opinor, Vahlenus quoque hos uersus eo ubi nullum intellectum habent quam huc poni maluit. sed mihi dubium non est, quin post u. 16 potius ponendi sint. quam egregie hic cum praecedentibus coeunt! infelix es Aquilo, immeritam carinam fregisti Neptune! ah, quoniam uita in gurgite posita est, tam crudeles esse non potestis, ut non corpus reddatis. et tu, arena, es enim satis uilis nec tibi parcere opus est, cadauer ad litus iactatum sponte tua tegas. sic sepultum Paetum qui nauta uiderit, dicit *et audaci tu timor esse potes*.

postremo de eo loco dicamus qui omnium difficillimus et obscurissimus mihi uidebatur: II, 34. de cuius elegiae fine Ribbekius ind. lect. Kil. 1867 et Heydenreichius in comment. philol. semin.

Lips. 1874 scripserunt, qui uersus 77—80 post u. 66 posuerunt, sed uersus 81. 82 recte explicare nequiuērunt. itaque meam audias sententiam.

postquam Propertius Vergilium Hesiodica praecepta ut ipsum Apollinem canere dixit, hoc sequitur:

non tamen haec ulli uenient ingrata legenti,  
siue in amore rudis siue peritus erit.

i. e. sed etiam qui amori deditus est non sine uoluptate haec leget. in quam sententiam poëta incidere non potuisset, nisi antea amantes seria non curare dixisset. neque igitur intellectum haec uerba habebunt, nisi hanc carminis nostri partem cum ea cohaerere sumpserimus, ubi poëta Lynceum ab seriis poëtis imitandis, cum in magnum amorem peruenerit, reuocat suumque ei exemplum proponit, qui inter mixtas puellas leui ingenio leuibusque uersibus regnet. quod si uerum est, primum ante u. 59 nouum carmen incipere non potest. deinde si extremum carmen cum medio cohaeret, hunc sententiarum connexum esse apparet: ne canas seria si amas, canas quod quaeuis noscere puella uelit, me imiteris. quamquam Vergilius Aeneïdem et Ascraea praecepta cecinit. sed hic ita cecinit, ut haec omnia etiam amanti uoluptatem praeberent. si autem hic sententiarum nexus est, uersus 77—82 post u. 66 sequi necesse est.

sed iam ab alia parte rem adgrediamur. uersûs 81 *haec* tradito uersuum ordine retento non potest nisi ad *Ascraei* poëtae praecepta referri. eodem etiam *his* uersûs 83 pertinere sequitur:

nec minor his animis, aut, si minor, ore canorus  
anseris indocto carmine cessit olor.

non Hesiodi animis minor factus est — aut si minor factus est (erant enim qui Vergilium Homeri magnum animum non assequi putarent) ore tamen canorus est i. e. uersus certe elegantes sunt — non indocto anseris carmine olor cessit. uides Georgica indocta anseris carmina dici. quod apte fieri nego. nam quod ad formam attinet, eam indoctam Propertium non iudicasse uersibus 79. 80 demonstratur:

tale facis carmen docta testudine quale  
Cynthius impositis temperat articulis.

ipsa autem praecepta etiam minus indocta esse potuerunt. neque igitur illa *indocta anseris carmina* explicationem habere puto, nisi ad Bucolica ea referas, ubi indoctorum pastorum qui decem malis puellas corrumpere potuerunt amores describuntur. quae sententia his Bucolicorum uersibus confirmatur:

9, 35 sq. nam neque adhuc Vario uideor nec dicere Cinna  
digna, sed argutos inter strepere anser olores.

quod si recte disputauis, nescio quomodo uersus 83. 84 post 76 legendos esse sequitur.

tertium argumentum multo firmitus ex sequentibus depromitur. nam uersûs 85 *haec* nisi ad amatoria carmina referri non potest.

ex his omnibus ni fallor necessario sequitur uu. 77—82 post u. 66 legendos esse. tum aptissimum habebis sententiarum nexum. nam post seria carmina Vergilii ad amatoria poëta transit quae ingenium illius non imminuisse affirmat eademque etiam Varronem Catullum Caluum Gallum cecinisse. quibus cogitationibus ad ea reuertitur, quae supra Lynceo exposuit amatoria ei carmina fingenda esse, concluditque et hanc elegiam et totum librum aptissime, cum quintum locum post illos sibi cupiat.

## 2.

ultimo loco sequantur duae coniecturae:

I, 11, 21: an mihi non maior carae custodia matris  
aut sine te uitae cura sit ulla meae?

quem uersum unus Iacobus isque dubitanter defendere conatur, ut interpretetur: *an mihi non maior tua custodia matris custodia?* sed si tales machinas explicatorias mouere liceret, multo aptius hoc esset *an non mea tui cura multo maior matris tui cura?* at poëtam contrarium eius quod dicere uoluisset dixisse ego numquam credam. si autem emendationes uirorum doctorum perlustrauerimus, omnes iisdem et suo quemque uitio laborare intellegemus. omnes enim id mutauerunt quod aptissimum nequaquam mutari debebat, dico illud *an non: culpa nimii amoris est. an non uehementissime te diligo et custodio?* deinde omnes effecerunt: *matrem non magis amo quam te, cum exspectaremus: te magis amo quam matrem.* quod autem pro *an* Petrus Burmannus at posuit, ea quae artissime cohaerent

hac particula diuellit. neque melius Lachmannus *ah* posuit, quod ab huius loci indole alienissimum est. solet enim grauem aut indignationem aut dolorem aut alium animi impetum significare. sed nostro loco teneris blanditiis in puellae gratiam se insinuat. tum quod Bekius posuit *an mihi nunc* propter languens illud *nunc* ferri non potest. deinde Iacobi coniecturam:

haut mihi sit maior carae custodia matris,  
haut sine te uitae cura sit ulla meae.

Hertzbergius propter illam particulae *haut* anaphoran recte reprehendit. denique Keilii *nam mihi* nimis pedestrem orationem sapere mihi uidetur.

itaque uide num magis placeat hoc:

an mihi non maior cara custodia matre es  
aut sine te uitae cura sit ulla meae?

custodia ea est quae custoditur, ut amor ea quae amatur, cura quae curatur similia. neque quam facile ex *matres* corrumpere potuerit *matris*, quamque necessario hunc errorem alter *carae* secutus sit, monere opus est.

II, 22, 44. aut, si es dura, nega. sin es non dura, uenito.  
quid iuuat et nullo ponere uerba loco?  
hic unus dolor est ex omnibus acer amanti,  
speranti subito si qua uenire negat.

*et* libri et editio Regiensis, *in* Puccius, cuius auctoritas perexigua est. neque probabile est *in* corruptum esse in *et*, contra *in* facillime coniectura oriri potuit. quod cum inter recentiores doctos fere constet, coniectando tamen a uero aberrant. nemo enim adhuc excogitauit, quod non saeua necessitate magis quam proba argumentatione effectum uideretur. Hauptius enim *ei*, quod sine *mihi* uix locum habet, Müllerus ut solet *a*, editor nuperrimus *at*. sed cum maioris uersus sententia haec sit *aut nega, si duras es, sin uenire promissisti, uenito*, iam exspecto: *quid te iuuare potest, his promissis tuis non stare?* quam ob rem malim:

quid iuuat haec nullo ponere uerba loco?

*haec* in *et* saepe deprauatum esse cum nemo ignorat tum uersu II, 23, 1 demonstrari potest, ubi G P *haec*, N *et*.

## V I T A.

---

Carolus Brandt natus sum a. d. IV Kal. Decembr. anni 1858 Gustrouiae Megalopolitanorum patre Augusto matre Augusta e gente Gosseliana utroque adhuc uiuo. fide initiatus sum Lutherana. a uere anni 1867 usque ad uer anni 1876 scholae cathedralis Gustroniensis discipulus fui, ubi cum ab aliis praestantissimis praeceptoribus tum ab Raspio direttore illius scholae ad philologiae studium incitatus sum. maturitatis testimonium adeptus per quater sex menses Lipsiae scholis doctissimorum uirorum interfui, Arndtii Braunii Curtii Drobischii Heinsii Hildebrandii Hirzelii Hübschmanni L. Langii Ouerbeckii Ribekii Ritschelii Seydelii Zarnkii, et in seminario Regio theodisco Braunii institutione per bis sex menses fructus sum. deinde Berolini per quinques sex menses Curtium Droysenū Huebnerum Müllenhoffium A. Kirchoffium Paulsenum I. Schmidtium Treitschkium Vahlenum Wattenbachium audiui. exercitationes adii Kirchoffii Muellenhoffii Vahleni Zelleri. seminarii Regii philologici sodalis ordinarius per ter sex menses fui. omnibus his uiris, imprimis Kirchoffio et Vahleno praeceptoribus mihi beneuolentissimis dilectissimisque, gratias ago candidissimas.

---

## THESES.

---

### I.

Iliadis *A* partem quae sit a uerbis ἀντιὰρ Ὀδυσσεύς uersus 430 usque ad uersum 487 centonem esse pessime consutum.

### II.

Iliadis *Θ* uu. 381—396 post uu. *E* 719—752 fictos esse.

### III.

Iliadis *A* uu. 47—50 interpolatos esse.

### IV.

Iliadis *A* uu. 67—71 cum sequentibus 72—82 iam a Lachmanno obelo notatis eiiciendos esse.

### V.

Iliadis *A* uu. 570—595 interpolatos esse.

### VI.

Panegyricum Pseudotibullianum ad Messallam missum post anni 719 expeditionem Pannonicam et ante anni 720 bellum Salsanicum scriptum esse.

---









UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA

B71P8.YBR

C001

QVAESTIONES PROPERTIANAE. BEROLINI



3 0112 023699520